



*m<sup>o</sup> m<sup>o</sup> myram*

*m<sup>o</sup>  
m<sup>o</sup>  
m<sup>o</sup>*

~~Price~~

*Kutman*

1779

*B*

I N I T I A  
L O G I C A E


IN

V S V M P R A E L E C T I O N V M

C O N G E S S I T

H E N R I C V S S E L S

P H I L O S O P H I A E P R O F E S S O R .



C O N F L U E N T I A E

S U M T I B U S H U B E R I 1 7 7 8 .

Phitos. 361

<sup>2</sup>Be

14.02.763.01

14.02.763.01



## Praefatio.

Congessi hæc initia potissimam partem  
ex Baumgarteno Philosopho e  
Leibnizianis valde subtili, Mejero in  
Baumgartenum Commentatore, Anto-  
nio Genuensi, Storchenavio, aliisque.  
Addidi quædam, sed pauca, ut puto, cum  
ceteris utilia Auditoribus meis, quibus ut

*P r a e f a t i o .*

pro viribus prodesse coner, & ratio officii postulat, & meus in adolescentes animus me impellit. Omisi nonnulla, quæ ab aliis, & iis ipsis, e quibus initia hæc selegi, sunt diligenter pertractata, scilicet: apodicticam, sive scientiam complete convincendi; methodum studendi, legendi, disputandi, doctrinam de errorum fontibus. Ratio facti breviter reddenda. De apodictica speciatim non egi: hæc enim, quantum quidem mihi videtur, in scientia demonstrandi continetur. Methodus studendi, legendi, & quæ eo pertinent, denique in rationem conceptus, judicia & ratiocinia resolvendi, rationes librandi, materiamque ipsam ponderandū recidunt, quæ tota docet Logica, quibusdam exceptis, quæ philosophiæ practicæ objecta sunt. Methodus disputandi sive socratica,

*P r a e f a t i o .*

sive scholaſtica, aut alia quæcunque, arte de-  
monſtrandi dirigi debet. Ceremoniæ in  
diſputationib⁹ uſitatæ dum videntur, diſcu-  
ntur. Reliqua ad mores perteſſent. Fontes  
errorum tota philoſophia conatur obſtruere,  
ſed obſtruere nunquam: manet hominiſ intellectus finitus, manebunt præjudicia, ſive  
ea in intellectu finito, ſive in naturali diſpo-  
ſitione corporis, ſive in climate, ſive in edu-  
catione & iſtitutione, ſive in perversa vo-  
luntate rationem ſuam habuerint, erunt illa  
ſemper inter homines, nec philoſophia ea  
unquam extermiabit. Eſt uſque adeo in  
præjudiciis id ſingulare, ut, qui nulli ſe ob-  
noxijs judicant, laborent gravifimo, & per-  
nicioſiſſimo. Reſ eſt factis ſufficienter com-  
probata. Ceterum non omne præjudicium

*P r a e f a t i o .*

error est, licet non sit judicium stricte philosophicum: multa judicia, quæ præjudicia sunt, vera sunt. Quæ tamen de præjudiciis monenda hinc inde erunt, in prælectionibus non omittentur. Logica dat regulas cognitionis perficiendæ, uberior explicatio dabit facta **tum** consona regulis, **tum** dissona, factorumque, quoad fieri poterit, rationem.



PRO-



## Prolegomena.

### SECTIO I.

DE

### C O G N I T I O N E .

#### §. I.

R epræsento mihi, percipio, cogito. Repræsentatio, perceptio, cogitatio signant idem sensu magis, quam explicatione, notum.

§. 2. Adverto, si mavis, percipio me percipere, repræsentare, cogitare, & sum mihi *conscientia*. Conscientia hic est advertentia ad perceptiōnēm, brevius: *apperceptio*.

§. 3. Percipio in uno, etiam in pluribus, plura, quorum unum non est aliud, quod etiam percipio, hinc *distinguo*. Perceptio diversitatis, *distinguo* est.

§. 4. Dum plura & diversa percipio, cognosco. Complexus perceptionum est cognitio strictius

Eius sumta. Latius sumta cognitio est repræsentatio quælibet.

§. 5. Id, quod cognosco, *objectum* (der Gegensand) sive materiale cognitionis est.

§. 6. Cognitio objecti alicujus nuda, hoc est, sine adfirmatione, aut negatione alterius de objecto cognito, est *conceptus* (ein Begrif). Cognitio immediata relationis inter duo, aut plura objecta, conjuncta cum actu mentis relationem repræsentatam dari adfirmantis, est *judicium* (ein Urtheil). Cognitio relationis sic vestita, sed mediata, hoc est, ex assumto quodam conceptu tertio, est *ratiocinum* (ein Schluss).

§. 7. Id, ex quo cognosci potest, cur aliiquid sit, est *ratio* (der Grund); & id, quod cognosci potest, est *rationatum* (die Folge). E. g. Sol ortus ratio diei est, & dies rationatum.

§. 8. Id, quod continet rationem alterius, est *principium*; hinc, si continet rationem cognitionis, est *principium cognoscendi* (die Erkenntnisquelle).

§. 9. Ratio, cur cognoscam aliquid, modo est in sensatione (in der Empfindung), modo in ratiocinio, modo in testimonio; hinc triplex est cognoscendi principium, & triplex cognitionis medium: *Sensus* (internus & externus), *ratio* (die Vernunft), & *fides*.

§. 10. Cognitio ex sensatione est *physica* (eine sinnliche); empyrica, exoterica. Cognitio ex

*ex ratiocinio est logica* (eine vernünftige), rationa-  
lis, esoterica Cognitio ex testimonio est histo-  
rica (eine historische Erkenntnis).

§. 11. Cognitio vera est, quæ cum objecto  
convenit. *Falsa*, quæ non convenit cum objecto:  
quæ videtur convenire, reipsa tamen non conve-  
nit, *apparens* (eine Scheinerkenntnis), & *error*  
est.

§. 12. Cognitio, qua objectum ab aliis dis-  
cernitur, *clara* est; illa vero, qua objectum ab  
aliis discerni non potest, *obscura* est. Objectum  
obscurum vel *absolute* tale est, ita, ut ipsum nun-  
quam, & a nullo intellectu clare possit cognosci,  
& est chymera; vel *respective* obscum est, non  
est tale, quod ab hoc aut illo intellectu cognosci  
nequit, licet saltē ab aliquo cognosci possit.

§. 13. Cognitio clara variorum, quæ in ob-  
jecto insunt, est *distinḡta*, intellectualis (eine deut-  
liche). Clara quidem objecti, sed obscura vario-  
rum, quæ eidem insunt, *confusa*, indistincta,  
sensitiva est (eine verworrene, undeutliche Erkennt-  
nis); qualis est cognitio colorum.

§. 14. Si clare cognosco convenientiam  
cognitionis meæ cum objecto, cognitio mea mihi  
certa est, si obscure, est *incerta*. Ex conscientia  
cognitionis clare oritur status mentis, quem *cer-  
titudinem dicimus subjectivam* (die Gewissheit in  
dem Erkennenden).

§. 15. Certitudo excludit formidinem de  
errore: non tamen quotiescumque abest formido  
erro-

erroris, adest certitudo. Incertitudo semper habet adjunctam formidinem de errore.

§. 16. Si illius, quod certe cognosco, oppositum absolute impossibile cognoscam, cognition mea est *metaphysice* certa; quæ, si pro objecto habet rerum qualitates (die *Beschaffenheiten*), est proprie *metaphysica*; si vero rerum quantitates (die *Größen*), est *mathematica*, ob lucem suam præferenda methaphysicæ. Si oppositum tantum hypothetice impossibile cognoscitur, certitudo dicitur *moralis* (eine *sittliche*).

§. 17. Cognition incerta vel talis est, ut plura cognoscantur ad veritatem cognitionis requisita, quam ad veritatem oppositi, & est cognition probabilis (eine *wahrscheinliche*); vel pauciora, & est improbabilis; vel æqualia, & est *dubia*. Defectus omnis cognitionis, est *ignorantia*.

§. 18. Quo plura cognosco, eo magis *extensa* est cognition; quo majora, eo *dignior*; quo fœcundiora, eo *überior*; quo clarius & distinctius, eo *intensior* est. Extensio (die Weitschichtigkeit), dignitas, vel nobilitas (die Würde, der Adel), ubertas (die Fruchtbarkeit), intensio (die innere Güte) perfectiones cognitionis sunt. Cognition perfectionibus his ornata est erudita (eine gelehrte); cognition erudita, si est cognition ex rationibus, est *philosophica* perfectior; quamquam non est cognition erudita, quæ non sit ex rationibus.

§. 19. Major & notabilior in cognitione ordo dicitur *methodus* die (Methode, oder bessere Eins-

Einrichtung der Erkenntniß). Hæc ad claritatem & distinctionem cognitionis necessaria est. Cognitionis carens methodo tumultuaria est (ein Gesmenge).

§. 20. In cognitione, in qua repræsentationes tali modo dispositæ sunt, quo una ex alia consequitur, atque ex ipsa dispositione repræsentationum nexus simul conspicuus redditur, est methodus *rationis* (die Einrichtung nach der Vernunft). Ratione enim nexus cognoscimus.

§. 21. Rationes (die Gründe), & rationata (7.) connexa sunt. Hinc ipsis positis, potest cognosci etiam nexus. In cognitione, in qua ante rationes repræsentantur, & tum earundem rationata, est methodus *synthetica* (die synthetische Einrichtung); in qua ante repræsentantur rationata, & tum eorundem rationes, est methodus *analytica* (die analytische Einrichtung der Gedanken). Methodus synthetica adecuratior est *mathematica*, quia mathematici eandem præ cæteris in suis cogitationis observant.

## SECTIO II.

DE  
PHILOSOPHIA.

§. 22.

*Philosophari* est cognoscere ex rationibus, & perfectius philosophari est erudite (18.) ex rationibus cognoscere; hinc ex rationibus clare &

& distincte, adeoque simul certo cognitis veris. Cognitio certa ex certis rationibus est *scientia subjective*; & qui certa ex certis cognoscit, demonstrat.

§. 23. Philosophus perfectior certa ex certis cognoscit, adeoque demonstrat. Qui tantum ex rationibus probabilibus (17.) cognoscit aliquid, non habet illius cognitionem philosophicam perfectam. Qui ex improbabilibus, dubiis (17.), falsis (11.) cognoscit, aut se cognoscere putat, in iis non est philosophus.

§. 24. Veritatum de eadem re, quæ inter se connexæ sunt, demonstratarum complexus est *scientia objective* sumta.

§. 25. Veritates de rerum qualitatibus demonstratae constituunt scientiam qualitatum, & de quantitatibus, scientiam quantitatum.

§. 26. *Philosophia* est complexus veritatum de rerum qualitatibus connexarum & demonstratarum. Et *Mathesis* est complexus veritatum similis de rerum quantitatibus. Hinc differunt: utramque tamen scientia est.

§. 27. Scientia de rerum omnium qualitatibus omnibus & singulis esset philosophia perfectissima: sed talis nec fuit, nec est, nec erit inter homines: ignoramus scilicet plurima, scimus pauca. Hinc omnis philosophia humana imperfecta, & una imperfectior altera, & quædam solo nomine philosophiæ, imo indignæ hoc nomine.

§. 28.

§. 28. Philosophia, ut modo inter homines  
exulta est, considerat, ens.

I. In genere

*ontologia* (die Grundwissenschaft).

II. In specie

A) Necessarium, *Theologia naturalis* (die Lehre von Gott aus der Vernunft).

B) Contingentia

a) in genere

*Cosmologia* (die Lehre von der Welt).

b) in specie in hoc mundo

a) corpora, quoad nexum

1) effectivum, *Physica* (die Naturlehre).

2) Finalem, *Theologia physica* (die Lehre von den Zwecken der Dinge in der Natur).

β) Spiritus

a) in genere, *Pneumatica* (die Geisterlehre).

b) in specie animam humanam.

1. Generatim, *Psychologia* (die Seelenlehre).

2. Speciatim, ratione facultatum.

A) Cognoscitiva

a) inferioris, *Aesthetica* (die Wissenschaft des Schönen).

b) su-

b) Superioris, *Logica* (die Vernunftlehre).

B) Appetitiva, *practica* (die praktische Weisheit).

a) in genere, *universalis*, seu *prima*.

b) in specie respectu obligationum

A) externarum in statu

1. naturali, *jus naturæ* (das natürliche Recht).

2. Sociali

a) generatim, *jus sociale* (das gesellschaftliche Recht).

b) Speciatim in statu

$\alpha$ ) doméstico, *jus economicum* (das allgemeine Recht des Hauses).

$\beta$ ) civili, *jus civitatis universale* (das allgemeine Stadtrecht).

a) Intra civitatem, *jus publicum universale* (das allgemeine Staatsrecht).

b) Foris, *jus gentium* (das Völkerrecht).

B) Internarum, in statu

1. naturali, *Ethica* (*philosophia moralis*, die natürliche Sittenlehre).

2) Sociali, *prudentia socialis* (die Klugheit im gesellschaftlichen Leben).

a) In

- a) In statu domestico, *prudentia &conomica* (die Klugheit im Hause).
- b) In statu civili, *Politica* (die Staatsklugheit).

§. 29. Non omnium Philosophorum philosophia est eadem (27.), nec omnium temporum; hinc *antiqua*, *media*, *recentior* distingui possunt, aut statui tres periodi temporum, *prima*, *secunda* & *tertia* periodus.

---

## A) PRIMA PERIODUS.

<i>Philosophi.</i>	<i>Doctrina.</i>	<i>Annus ante C. N. incertus.</i>
a) Chaldæi. Zoroaster. Belus Rex. Berosus.	Astronomia. Astrologia. Superstitiosa.	
b) Persæ. Zoroaster-Zerdusht.	Unum principi- um, forte solem, statuit.	incertus.
Hystaspes. Ostanes.	Religio juncta Metaphysicæ.	
c) Phœnices. Moschus.	Doctrina de ato- mis.	incertus.
Cadmus.	Reinauticæ initia. Translator litera- rum in Græciam.	
d) Aegyptii. Athotis, sive Hermes. Siphoas, sive Tris- megistus.	Disciplinæ variæ, præfertim geo- metria, symbola, & figuræ hiero- glyphicæ; trans- migratio anima- rum, sive metem- psychosis.	incertus.
e) Græcæ		

e) Græci.

a) a Talete.

I) Secta jonica.

Thales Milesius.

Politica.

Floruit

circa

640.

Geometria.

Astronomia.

Physica. In qua  
unum principium  
rerum aqua.

Anaximander.

Inventor sphæræ  
& mapparum.

547.

Anaximenes Mile-  
sius.

Inventor horolo-  
gii solaris. Unum  
rerum principi-  
um aër.

547.

Anaxagoras Clazo-  
menius.

Spiritus divinus  
principium re-  
rum. Similitudo  
omniuin partium.  
Luna habitat.

500.

Archelaus Phyl-  
eius.

Ob Physicam ex  
Ionia Athenas  
translatam. In-  
differentia actio-  
num humanarum  
in se.

444.

a) Se-

## 2) Secta Socratica.

Socrates Atheniensis.	{ Osor Sophistarum interrogando &	430.
Xenophon.	respondendo do-	
Aeschines.	cebat philosophi- am moralem.	360.

## 3) Secta Cyrenaica.

Aristippus Cyrenensis.	{ Summum bonum voluptas.	400.
Arete filia Aristippi.	Mors vitæ præfe-	
Hegesias.	renda.	

## 4) Secta Megarica.

Euclides Megarensis.	{ Sophismata & contentiones re-	400.
Eubulides. —	duxit. Unde Eri- stici. Inventor soritis.	

## 5) Secta Eliaca ab urbe Eli.

Phædon Eliensis.	{ Philosophia mo-	400.
Plistanus.	ralis.	
Menedemus.		

## 6) Academia.

## a) Vetus.

Plato Atheniensis.	{ Physica. Meta-	370.
Speusippus.	physica. Philo-	
Xenocrates.	sophia moralis.	
Polemo.	Theologia.	
Crantor.		

b) Me-

b) Media.

Arcesilas Pitaneus.	Acatalepsia, sive ignoratio omni- um.	300.
Lacydes.		
Evander.		
Egesinus.		

c) Nova.

Carneades Cyrenen- sis.	Est veritas ita ab- dita, ut sine er- roris periculo ne- queat a falsitate discerni. Hinc dubitandum de omnibus.	140.
Clitomachus.		
Philo.		

7) Secta Peripatetica.

Aristoteles Stagyrita.	Poësis. Rhetorica. Logica. Physica. Metaphysica. Ethica. Politica.	350.
Theophrastus Ere- sius.		
Strato Physicus.		
Lyco.		

8) Secta Cynica a Cynosarge, loco  
quodam sic dicta.

Antisthenes Atheni- ensis.	Virtus in rigore vitæ.	380.
Diogenes Canis.		
Monimus.		
Onesicritus.		

*Prolegomena.*9) *Secta Stoica a stoia Perticu.*

Zeno Citticus.	In virtute beatitudi-	300.
Chrysippus.	A logica sua celebris.	
Zeno Tarsensis.	Fatum Stoicorum	
Diogenes Seleuciensis.	varie ab ipsis explicatum.	
Panætius Rhodius.		

B) *a Pythagora.*1) *Secta Italica.*

Pythagoras in insula Phoeniciæ Samos natus, primus dictus philosophus.	Mathesis. Musica. Ethica. Theologia. Metempsychosis in Graeciam invecta.	Circa 497.
--	--	------------

Architas Tarentinus.	Fertur cathegoriarum author, multaque ad mechanicam addidisse.	408.
----------------------	--	------

Philolaus Crotoniates.	Motus terræ circa solem, dogma Pythagoræorum per ipsum innovavit, uti & plura alia.
------------------------	---

Timæus Locutus.

2) Se-

2) Secta Elealica ab urbe Elea vel Velia.

Xenophanes Colophon.	Ex nihilo nihil	442.
Parmenides.	fit; hinc æterni-	
Melissus.	tas mundi.	
Zeno Eleates.	Dialecticæ, ut fer- tur, author.	
Leucippus.	Doctrinæ de ato- mis in Græcia suscitator.	420.

Democritus Abderites.

Protagoras.	De existentia Dei dubius.
-------------	------------------------------

Heraclitus, a quo	Noluit intelligi.
secta Heraclilea nul- lius nominis.	

Anaxarchus.		350.
-------------	--	------

3) Secta Pyrrhonica.

Pyrrho Eleates.	Scepticismus.	342.
-----------------	---------------	------

Eurylochus.	
-------------	--

Philo Atheniensis.	
--------------------	--

Timon Phliasius.	
------------------	--

Secta Epicurea.

Epicurus Gargetius.	Regula de sensibus, prænotione, volupta- te & vocibus. In Phy- sicis doctrina de ato- mis: in Ethica, sum- mum hominis bonum voluptas. Ob hanc do- ctrinam a posteriorum aliis graviter accusa- tus, defensus ab aliis.	290.
---------------------	--	------

Polianus Lampacenius &c.

B 5

B) SE-

## B) SECUNDA PERIODUS.

a) Eclectici.		Sæculum
1) Ethnici.		p. C. N.
Potamon Alexandri-	Ex variis vete-	imo.
nus.	nus, præsertim	
Plotinus.	Pythagora & Pla-	3tio.
Porphyrius.	tone concinna-	3tio.
Jamblychus &c.	runt suum systema	3tio.
	oppositum Chri-	
	stianis,	
2) Christiani.		
Athenagoras Athene-	In arte ratioci-	2do.
nensis.	nandi Aristote-	2do.
Pantænas.	lem, in moralibus	3tio.
Clemens Alexandri-	ex parte Stoicos,	3tio.
nus.	& in theologicis	
Ammonius Saccas.	ex parte Platoni-	
Origenes &c.	cos secuti sunt.	
b) Peripatetici novi.		
Alexander Aphrodi-	Commentator in	3tio.
sensis Romæ.	Græcos,	
Alfargan.	Commentatores	9no.
Assarabi.	infelices in Ari-	10mo.
Avicenna.	stotelem,	11mo.
Averroes.		13tio.
c) Peripatetici scholastici sub finem.		
Abailardus.	Partim nomina-	11mo.
Petrus Lombardus.	listæ, partim rea-	12mo.
Robertus Pullus.	listæ,	12mo.
Albertus magnus.		13tio.
d) Scho-		

d) Scholastici.

Thomas Aquinas.	Ab hac schola	13to.
	Thomistarum.	
Joannes Duns, Scotus &c. &c.	Schola Scotista- rum.	14to.

C) TERTIA PERIODUS.

Laurentius Valla, Romanus.	Inter alia scripsit tractatum de falso & vero.	Annus post C.N. N.M. 1415. 1465.
-------------------------------	--	---

Marsilius Ficinus, Florentinus.	Platonem & Plotinum in lingua latinam transtulit, varia- que edidit opera, collecta in unum volumen, impres- sa Basileæ 1561. & 1576.	1433. 1499.
------------------------------------	--	-------------

Picus, Mirandola- nus, Italus.	Pythagoræus. Tractatus ipsius editi sunt Basileæ 1601. &c.	1463. 1494.
-----------------------------------	---	-------------

Vives, Hispanus.	Scripsit inter alia tractatum de rui- na scientiarum, editum Basileæ 1555.	1492. 1549.
------------------	--	-------------

Petrus Ramus, Gal-	Inter alia scripsit scholarum dialecticarum libros 20., de arithmeticā 2. & 27, de geometria,	1502. 1571. in Lanienā Parisiā.
Telesius, Italus.	De natura juxta propria principia libri 2. de mari liber unus & de colorum genesi.	1509. 1588.
Justus Lipsius, Belga.	Stoicus, ad stoicam philosophiam libri 3. cet. editi Antverpiæ 1636.	1547. 1606.
Franciscus Bacon de Verulamio, Anglus.	Parens physice experimentalis, inter alia scripsit organon scientiarum; opera ipsius edita sunt Londini editione pulcerrima post mortem ipsius.	1561. 1626.
Gallilæus Gallilæi, Pisanus.	Multa in physicis & mathematicis detexit. Plurima ipsius opera edita sunt Florentiæ 1718.	1564. 1641.

Petrus Gassendi,	Epicurum ab er-	1592. 1655.
Gallus,	roribus purgavit.	
	Opera ipsius 6.	
	tomis in folio	
	edita sunt Parisiis	
	1658.	
Renatus Cartesius,	Renovavit in phi-	1596. 1650.
Gallus.	losophicis multa	
	non æque in	
	omnibus felix.	
	Opera ipsius pro-	
	diere Amsteloda-	
	mi 1664.	
Honoratus Trabri-	Philosophia uni-	1607. 1688.
gallus.	versa. Dialogus	
	de motu terræ.	
	Synopsis optica.	
	Opus physicum	
	&c.	
Isaacus Newtonus,	Principia philo-	1642. 1727.
Anglus.	sophiae naturalis	
	mathematica.	
	1687. tractatio de	
	lumine & colo-	
	ribus 1704. edita	
	&c. in physicis, &	
	mathematicis	
	princeps.	

Guilielmus Leibni-  
zius, Germanus,  
Lipsiensis. Nova in philoso- 1646. 1716.  
phiam systemata  
invexit. Scripsit  
praeter alia libel-  
lum de bonitate  
Dei, sive theodi-  
ceam. In meta-  
physicis primus.

Christianus Wolfius,  
Wratislavienensis 1679. 1754.  
Silesius. Pluribus volumi-  
nibus integrum  
complexus est phi-  
losophiam me-  
thodo mathema-  
tica adornatam  
&c. &c. &c.

### SECTIO III.

DE

### LOGICA.

§. 30.

*Logica* est complexus regularum, secundum quas  
intellectus noster dirigendus est ad cognitio-  
nem perficiendam (18.).

§. 31. Regulæ debent esse veræ, & ex certis  
rationibus debent clare & distincte posse cognosci,  
esse veræ; hinc demonstrari. Earundem igitur in  
unum collimantium complexus, est scientia objec-  
tive (24.). Ergo logica scientia est, & valde  
utilis.

§. 32.

§. 32. Regulæ debent posse applicari: ceteroquin inutiles sunt. Complexus regularum logicæ sine applicatione consideratarum, est *logica theoretica*; complexus regularum logicæ applicatarum, est *logica practica* (die angewendete Vernunftlehre).

§. 33. Logica, quæ agit de perficienda cognitione, agit de perficiendis conceptibus, judiciis & ratiociniis (6.); & hæc *generalis* dicitur. Quæ agit de iisdem perficiendis per sensus, per rationem, per testimonia (9.), dicitur *specialis*, ad quam non inutiliter *hermeneutica* accedit; & quoniam circa pauca possumus habere cognitionem certam, in multis tantum probabilem; in probabilitibus tamen melius judicare ad perfectionem cognitionis pertinet; hinc & utilis est de *probabilitate* tractatio pertinens ad logicam; aut potius novam logicæ speciem constituens. Unde logicæ partes sunt

### A) generalis

- 1) de conceptibus, *noetica* (die Lehre von den Begriffen), cap. I.
  - a) de conceptibus ipsis, sect. I.
  - b) de eorundem signis, sive symbolis
    - I) generatim,
    - 2) speciatim de terminis, sect. 2.
    - c) de conceptuum definitionibus (von den Erklärungen), sect. 3.
    - d) de divisionibus, sect. 4.
  - 2) de judiciis & propositionibus, *theticæ* (die Lehre von den Sätzen), cap. II.
    - 3) de

3) de ratiociniis dianoetica (die Lehre von den Vernunftschlüssen), cap. III.

B) Specialis

- 1) de cognitione per sensum, *empyrica* (die Wissenschaft zu erfahren), cap. I.
- 2) de cognitione per rationem, *logica strictissime sumta*, cap. II.
- 3) de cognitione per testimonium, *martyrocritica* (die Wissenschaft zu glauben), cap. III.
- 4) de cognoscendo authoris sensu, *hermeneutica* (die Auslegungskunst).
- 5) de cognitione probabili, *pithanognostica* (die Lehre von dem Wahrscheinlichen).



Logica generalis.

CAP. I.

DE CONCEPTIBUS.

SECTIO I.

DE

CONCEPTIBUS IPSIS.

§. 34.

Cognitio objecti alicujus sine adfirmatione, aut negatione, est *conceptus* (6). Objectum ipsum *conceptus objectivus* (der Begrif nach seinem Gegenstande), cognitio ipsa *conceptus formalis* est (der Begrif in sich).

§. 35. Id, per quod objectum determinatur, ratio *determinationis, distinctionis* (3) objecti ab aliis est, & dicitur *nota, character, vel discriminus rei* (ein Merkmal).

§. 36. Nota rei 1. *positiva* est, aut *negativa*: prior est, per quam mihi aliquid tanquam praesens in re praesente; posterior, per quam mihi aliquid tanquam a re absens repräsentato. Doctrina e. g. est nota positiva, & ignorantia est nota negativa. 2. *Propria, vel communis*: illa est, quæ reperitur tantum

tum in uno; hæc, quæ in pluribus reperitur. Tres lineæ in extremis punctis concurrentes nota trianguli propria est, & clausum spatium nota communis. 3. Vel *sufficiens*, vel *insufficiens*: illa est, per quam res satis determinatur, & hæc, per quam res non satis determinatur. Notæ communes semper sunt insufficietes. 4. Vel *fæcunda*, vel *sterilis*: illa est, quæ multiplex discrimen, & a multis exhibet; hæc, quæ non multiplex discrimen, & a paucis ostendit. Ratio in homine est nota fæcunda; existentia ejus est nota sterilis. 5. Vel *magna*, vel *parva*: illa magnum; hæc exigutum discrimen exhibet: in homine cum brutis collato ratio est etiam nota magna; decem articuli pedum nota parva sunt. 6. Vel *constans*, vel *variabilis*: illa est, quæ abesse non potest; hæc, quæ potest abesse. Constantes vel primæ sunt, & rationes reliquarum notarum, & dicuntur *essentialis* (die wesentliche Stücke), vel ex primis profluunt, & sunt attributa (Eigenschaften). Essentialis notæ, & attributa sunt internæ necessariæ rei. Notæ variabiles, si sint internæ rei, dicuntur *modi* (fallselige innerliche Beschaffenheiten), si sint externæ, sunt *relationes* (Verhältnissen). Clasum spatium tribus lineis notæ *essentialis* trianguli sunt, tres anguli attributa, color laterum modus, æqualitas cum alio relatio est. 7. *Mediata*, vel *immediata*: illa est nota notæ rei; hæc nota rei tantum. Ratio est nota immediata animæ rationalis, & repræsentatio nexus rerum est ejusdem animæ nota mediata.

§. 37. Objectum notis suis propriis determinatum est *singulare* (ein einzelnes bestimmtes Ding),

Ding), sive individuum. Objectum notis suis propriis non determinatum, est indeterminatum, commune, universale (unbestimmt, gemein).

§. 38. Conceptus objecti singularis est *idea*; objecti communis est *notio* (ein mehreren gemeiner Begrif). Conceptus Ciceronis est *idea*, conceptus oratoris est *notio*.

§. 39. Omne objectum vel commune est, vel singulare. Hinc omnis conceptus vel *idea* est, vel *notio*.

§. 40. In omni conceptu sunt notæ, quarum quælibet unum est, & cum conceptu simul repræsentatur; adeoque adsunt conceptus plures, qui sunt notarum conceptus: hi dicuntur ipsum conceptum, cuius notas repræsentant, *ingredi*, sive *in eodem contineri*, & eidem *convenire strictius* (kommen in den Begrif hinein, sind in demselbigen enthalten). Ii conceptus, qui tantum in alio repræsentari possunt, eidem conveniunt latius, & illum, cui conveniunt latius, non ingrediuntur. Sic conceptum hominis ingreditur conceptus animalis, non vice versa.

§. 41. Notio repræsentat objectum commune (38.) adeoque notam, quæ reperitur in pluribus; hinc notio alias conceptus ingreditur. Conceptus, quos notio ingreditur, dicuntur *sub notione contenti*, & ad eandem referuntur. Notio figuræ *sub se* continet conceptus trianguli, quadrilateri &c. Triangulum & quadrilaterum ad figuræ referuntur.

§. 42. Conceptus, qui aliud sub se continet, respectu hujus dicitur *superior* (der obere, oder

oder höhere); qui vero sub alio continetur, respe-  
ctu ipsius *inferior* dicitur (der untere, oder niedri-  
gere Begrif).

§. 43. Conceptus superior repräsentat id,  
quod est suis inferioribus commune; hinc nihil est  
in superiore, quod non sit in inferioribus ejus sin-  
gulis. Inferiores conceptus simul sumti consti-  
tuunt superioris *ambitum* (den Umfang des höhe-  
ren Begriffes). Ad notionem trianguli, trian-  
gula pertinent omnia, nihilque est in notione tri-  
anguli, quod non sit in triangulis singulis.

§. 44. Conceptus sibi mutuo convenientes,  
& ejusdem ambitus sunt reciproci (Wechselbegriffe).  
Conceptus trianguli, & figuræ tribus lineis clausæ  
sunt reciproci.

§. 45. Conceptus inferior semper minus  
communis est suo superiore; hinc magis determi-  
natus; habet ergo notas plures; adeoque non,  
quidquid est in inferiore, est in superiore: sic non  
est in omni triangulo illud, quod est in æquilatero.

§. 46. Conceptus inferiores contenti sub  
superiore vel sunt ideae, vel notiones (38): si  
primum: conceptus superior est *species*, notio  
speciei (*Art*, oder *Gattungsbegrif*); si alterum,  
conceptus superior est *genus*, notio generis (*ein Geschlechtsbegrif*). Conceptus trianguli æquila-  
teri speciei notio est; conceptus trianguli generis  
est notio.

§. 47. Genus vel *summum*, vel *interme-  
dium*, vel *infimum* est. Primum est notio gene-  
ris,

ris, quæ sub nulla alia continetur; secundum est notio contenta sub aliis; tertium est notio generis, quæ tantum sub aliis continetur, sub se vero immediate habet speciem. E. g. ens, substantia, animal.

§. 48. Notæ conceptus inferioris in superiori non contentæ sunt inferioris *differentia* (der Unterschied, oder die genauere Bestimmung). Differentia, quæ est inter notiones specierum, *specifica*, quæ est inter notiones generum, *generica*, quæ est inter ideas, differentiæ individuorum, aut *numerica* est: prima est inter hominem, & brutum; secunda inter animal, & plantam; tertia inter Cæsarem, & Pompejum.

§. 49. Notio, quæ singulis sub aliquo conceptu contentis strictius convenit, dicitur *universalis* (ein allgemeiner), quæ aliquibus tantum inferioribus convenit, *particularis* est (ein besonderer unbestimpter Begriff): notio hominis universalis est; notio eruditii, relate ad inferiores conceptus sub conceptu hominis contentos, est particularis.

§. 50. Cognitio alicujus orta per sensum, sive externum, sive internum, conceptus *intuitivus* est (ein durch die Sinne, oder Empfindung erhalten Begriff): Conceptus quarundam animæ qualitatum sunt ex sensu interno, rerum corporarum ex sensu externo.

§. 51. Quod percipio per sensus, existit, quod existit, est propriis suis notis determinatum; hinc singulare; Conceptus alicujus singularis est

idea (38); ergo omnis conceptus per sensum idea est: sed tamen non omnis idea est conceptus per sensum.

§. 52. Conceptus ex testimoniis aliorum est *historicus* & *strictus*, si is, qui testatur, id, quod testatur, est expertus: si minus, est *historicus* in sensu latiore. Omnis conceptus per fidem est *historicus*.

§. 53. Si attentionem ab uno objecto dirigo ad aliud, & per hoc cognitionem illius objecti, a quo attentionem revoco, obscurò, tunc *abstraho*. Conceptus, per abstractionem formatus, *abstractus* dicitur (ein abgesonderter Begrif).

§. 54. Formatur conceptum abstractum assumat conceptus inferiores tot, quot haberi possunt; attendat ad horum quemvis, & ejus notas, quantum fieri potest, clare cognoscat; conceptus omnes inter se conferat, & quid commune habent, dispiciat; notam communem, relictis aliis, seorsim cogitat, & formatum conceptum abstractum. Hinc patet, omnem notionem esse conceptum abstractum, cum formetur abstrahendo ab inferiorum differentia.

§. 55. Si cum conceptu quodam cogitur alius, aut etiam plures, & huius tanquam unum represententur, formatur conceptus per *combinacionem*; ita formatus dicitur *combinatus* (ein verbundener Begrif). Conceptus non combinatus *simplex* est. Conceptus figuræ est *simplex*, figuræ quadrilateræ est *combinatus*.

§. 56.

§. 56. Conceptus, quorum unus alteri nec strictius, nec latius convenit (40), ipsi repugnat. Conceptus combinatus ex repugnantibus, chymera est. E. g. trianguli quadrilateri conceptus.

§. 57. In combinatione conceptum vel cognoscitur convenientia eorundem ex ratione, a deo que philosophice, vel non; si primum, conceptus est rationabiliter combinatus; si alterum, est arbitrarie (willkührlich) combinatus.

§. 58. Conceptus, qui cum alio combinatur, vel in eo jam contentus est, & dicitur *latius* combinatus, vel in eo contentus non est, & dicitur *strictius* combinatus. In conceptu hominis, contentus est conceptus rationalis, non vero conceptus eruditii.

§. 59. In combinatione strictiore vel conceptus determinatus est combinatione conceptuum notarum propriarum, vel tantum combinati sunt conceptus notarum communium: si primum, conceptus combinatus est idea; si alterum, est notio.

§. 60. Combinaturus seorsim cogitet conceptus combinandos, eosque evolvat, tum inter se conferat, & convenientiam eorundem determinet philosophice. Ideas combinatione formaturus attendat ad notas objectorum proprias; & notiones combinatione formaturus attendat ad notas communes. Combinaturus arbitrarie caveat, ne repugnantes combinet.

§. 61. Conceptus hominum primi, & verisimilius omnes ex sensibus ortum habent. Circa

id vero, quod sentimus, vel ita versamur, ut totum percipiamus, vel ita, ut a quibusdam ipsius determinationibus abstrahamus, vel easdem combinemus. Hinc omnis noster conceptus, si originem spectemus, vel est per sensum, vel per abstractionem, vel per combinationem formatus.

§. 62. Conceptus cum objecto suo conveniens *verus*, cum eodem non conveniens *falsus* est (11.); omnis conceptus objecti possibilis verus est conceptus, & objecti impossibilis falsus est. Conceptus tantum apparen<sup>s</sup> *deceptor* est (ein Trugbegrif).

§. 63. Conceptus omnis vel est *clarus*, vel *obscurus*; hic vel absolute, vel relative talis (12.).

§. 64. Conceptus clarus vel *distinctus* est, vel *confusus*. *Distinctus* est, in quo objecti notæ clare repræsentantur; *confusus*, in quo notæ obscure repræsentantur.

§. 65. Conceptus distinctus vel est *complete* *distinctus* (ausführlich deutlich), vel *incomplete*: prior est, in quo tot notæ clare repræsentantur, quot sufficiunt ad objectum omni tempore, omni loco, in quavis circumstantia ab aliis objectis discernendum. Conceptus, in quo non sunt notæ ad hoc sufficientes clare repræsentatae, est incomplete *distinctus*.

§. 66. In conceptu distincto, si præterea notæ omnes distincte repræsententur, erit ipse *adæquatus* (vollständig deutlich); si clare quidem, sed confuse, erit *inadæquatus*; si notæ notarum distin-

distincte repræsententur, erit conceptus profundus (ein tiefer Begrif).

§. 67. Conceptus distinctus, in quo nec plures, nec pauciores notæ repræsentantur, quam ad completum sufficiunt, est determinatus (ein ganz genau bestimmter), & purus (reiner, netter Begrif). Huic opponitur conceptus indeterminatus (ein unbestimmeer Begrif), qui, si habeat pauciores notas, quam ad completum sufficiunt, dicitur mancus (ein mangelhafter); si habeat notas plures, dicitur abundans (ein zu weitläufiger); si habeat notas ancipites (wendeutige Merkmale), dici potest fluctuans (ein schwankender Begrif).

§. 68. Conceptus suos perfecturus sumat  
 a) objectum unum: ad hoc 1. attendat, sive faciat, ut ipsum clare cognoscat; 2. resolvat objectum in suas notas; 3. ad has successive attendat, sive reflectat; 4. easdem inter se conferat; 5. & omnes simul sibi sistat. Hoc ipsum instituat circa quamvis notam, quæ resolvi potest, donec deveneriat ad notam ulterius non resolubilem vel absolute, hoc est simplicem (ein in sich unauflosliches Merkmal), vel respective (beziehungsweise unauflösliches).

b) Objecto uno ita lustrato, lustret similiter & alia proximiū similia.

c) Hæc conferat inter se videatque, quas notas quodvis proprias sibi, quas cum aliis communes habeat (36.).

d) In unoquoque detegat notas constantes, & variabiles. Quod fieri potest a) mutando circum-

stantias: quæ notæ variantur mutatis circumstan-  
tiis, variabiles sunt; quæ in omnibus circumstan-  
tiis manent eædem, verisimiliter constantes sunt.  
b) Auferendo notas, quibus ablatis res non de-  
struitur, variabiles sunt; quibus ablatis res destrui-  
tur, certo constantes sunt; & quidem essentiales,  
si primæ sint, & rationes reliquarum etiam con-  
stantium.

e) Abstrahat notas communes a propriis.

f) Notas combinet modo cum hac, modo cum  
alia, & communes combinando determinet.

§. 69. Universim multitudo, sive copia  
conceptuum (der Reichthum all Begriffen) acqui-  
ritur; conceptus acquisiti perficiuntur attentione,  
resolutione, sive analysi, reflexione, abstractione,  
combinatione, sive compositione. Hinc & cogni-  
tio his mediis perficitur extensive, & intensive  
(18.).

## SECTIO II.

### DE *SIGNIS CONCEPTUUM.*

#### §. 70.

*Signum* generatim est id, cuius conceptus etiam  
alterius conceptum excitat, sive: est medium,  
ex quo cognosci potest alterius cuiusdam existen-  
tia: hoc alterum *signatum* (das Bezeichnete)  
etiam *significatus* est (die Bedeutung, in so fern  
sie

sie dem Bezeichneten als der Folge, oder dem Zwecke des Zeichen beygelegt wird). Hinc signum est ratio, & signatum rationatum ejus; adeoque inter signum & signatum datur nexus, qui est significatio, vis, potestas signandi (die Bedeutung, in so fern sie dem Zeichen als dem Grunde beygelegt wird). Nexus, si sit ex natura signi, signum dicitur *naturale*, si sit ex arbitrio signantis, dicitur *arbitrarium*. Respiratio est signum naturale vitæ; signa æqualitatis, majoritatis &c. apud Mathematicos arbitraria sunt.

§. 71. Signum, cuius conceptus signati conceptum determinatum (67.) excitat, dicitur *congruum*, quadrans (anpassendes). Signum, cuius conceptus signati notas, earumque inter se nexus, in suis notis, earumque nexu exprimit; sive quod tale est, ut omnia, quæ ex ipso tam secundum se, quam in nexus cum aliis spectato, inferri possunt, de signato ipso valeant, dicitur *significans* (bedeutendes). Cuius & facilis usus, & ex ipso facilis cognitio signati, est signum *facile* (ein leichtes). Congruentia, significatus, & facilitas signi, perfectiones ipsius sunt.

§. 72. Signum, cuius conceptus non excitat signati conceptum determinatum, est *incongruum*. Signum, quod putatur esse signum, & non est alicujus signum, est *inane*; quod plura & diversa signat, est *vagum*; quod aut non potest facile adhiberi, aut quo adhibito, tamen ex ipso non potest facile cognosci signatum, aut in quo

utrumque accidit, est signum *difficile*. Signa, quibus unum, aut plura ex enumeratis applicari debent, universim signa deficientia sunt (mangelhafte Zeichen).

§. 73. Conceptus ex signis *symbolicus* est (ein Begrif aus den Zeichen, symbolischer Begrif).

§. 74. Signum conceptus est *terminus*, sive *symbolum* (ein Ausdruck); & conceptus termino signatus est significatus ut finis termini (70.). Terminus apud Logicos *vocabulum* est.

§. 75. Qui utitur terminis ad conceptus suos alteri significandos, proponit; qui significatum ex termino cognoscit, intelligit terminum; qui vero ex termino significatum intelligit, quem proponens significare voluit, intelligit proponentem. Potest intelligi terminus, & tamen non ideo proponens.

§. 76. Terminus signat conceptum; hinc totuplex est terminus, quotuplex conceptus: singularis, communis, abstractus, combinatus, sive complexus, simplex &c.

§. 77. Terminus vel est unius tantum significatus, vel plurium: si primum, dicitur *univocus* (ein eindeutiger), si alterum, est *equivocus* (ein zweideutiger Ausdruck), qui etiam vagus, & ambiguus dicitur. Hic, si ad certum significatum determinetur, dicitur *figi* (seine Bedeutung wird festgestellt).

§. 78. Significatus termini *proprius* (eigentliche Bedeutung) est ille conceptus, ad quem significandum terminus primario est assumptus. Significatus *improprius*, translatus, tropicus (uneigentliche, figurliche Bedeutung) est conceptus, ad quem significandum terminus primario non est institutus, qui tamen cum proprio hujus termini significatu connexionem habet, vel majorem, vel minorem. E. g. *Nervus belli pecunia*.

§. 79. Termini plures ejusdem significatus, & linguæ sunt synonymi (gleichviel bedeutende Ausdrücke); si sint perfecte synonymi, sunt *tautologici*.

§. 80. Terminus signans conceptum in vita communi occurrentem *vulgaris*; signans conceptum disciplinis tantum & artibus proprium est *technicus* (ein Kunstwort).

§. 81. Termini, quorum significatum etiam minus attenti, intelligere videmur, *familiares* sunt (geläufige Ausdrücke).

§. 82. *Usus loquendi* in aliqua lingua (der Sprachgebrauch) est consensus plurium in vita communi certo termino certum conceptum significandi. Si talis consensus in disciplinis occurrit, *receptus terminorum significatus* dicitur (der gelehrt Sprachgebrauch).

§. 83. Terminus *verus* est, qui signat conceptum verum; *falsus*, aut inanis est (ein leerer Ausdruck), qui signat conceptum falsum. Termini

mini seorsim veri combinatione s<sup>e</sup>pe falsi redduntur, præsertim familiares. E. g. Dum germanus diligens alterius studium his terminis significare vult: Et studieret wie ein Pferd.

§. 84. Terminus *clarus* est, cujus significatus est clarus; *obscurus*, cujus significatus obscurus est, vel absolute, & hic esset terminus falsus, vel respective: *obscurus*, in quantum ejus significatus non facile cognoscitur, dicitur *non intelligibilis* (unverstndlicher), vel absolute, vel respective. Qui utitur terminis intelligibilibus, *perspicuus* est (redet deutlich, verstandlich, faslich).

§. 85. Terminus, cujus significatus clare cognoscitur verus, est *certus*; cujus significatus non clare cognoscitur verus, est *incertus*.

§. 86. Veritas, claritas, intelligibilitas, certitudo terminorum perfectiones sunt, & media, quibus præcavetur *logomachia* (der Wortstreit).

### SECTIO III.

DE

### DEFINITIONIBUS.

§. 87.

*Definitio logica* (eine logische Erklrung) est conceptus distinctus determinatus (67.) terminis expressus. E. g. Triangulum est figura tribus in eis terminata. Conceptus definitus *definitum* (der erklr-

erklärte Begrif), ipsa definitio definiens (der erklärnde Begrif) dicitur.

§. 88. Conceptus distinctus non determinatus sive mancus, sive abundans (67.) terminis expressus est *descriptio* (eine Beschreibung). E. g. Homo est animal sagax, memor, plenum rationis, & consilii; & hic hominis conceptus est abundans. Descriptio vaide abundans *definitio exeggetica* dicitur, licet non sit definitio. E. g. Declaratio alicujus per omnia causarum genera, item per multa adjuncta, & circumstantias.

§. 89. Requisita definitionis se tenent ex parte terminorum.

A) Ex parte conceptuum requiritur:

1) Conceptus definitionem ingredientes sint clari & absolute, & respective (63. & 12.). Nam definitio est conceptus alicujus distinctus; hinc notæ debent clare cognosci (64.); conceptus vero notarum ingreduntur definitionem (40.); ergo & hæ debent clare cogosci; unde *obscurum per æque aut magis obscurum definiri non potest*. Sic nulla est hæc definitio motus: Motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia.

2) Conceptus ingredientes non sint plures, nec pauciores, quam ad definitionem requiruntur. Nam definitio est conceptus distinctus determinatus. Hinc definitionem non ingrediantur notæ in aliis definitionis

tionis notis jam contentæ ; neque tales, quæ satis determinantur per notas in definitione necessarias. Sic vitiosa est hæc : Triangulum est figura tribus lineis terminata, & tres habens angulos.

- 3) Non sint in definitione conceptus sub definito contenti (41.). Nam definitio est conceptus distinctus ; Conceptum autem definiti distinctum non ingrediuntur, nisi conceptus notarum in definito contentarum ; hinc non nisi conceptus in definito contenti ; adeoque in definitione generis non sit conceptus speciei, nec in definitione speciei conceptus individui. Unde non valet hæc : Triangulum est figura tribus lineis rectis terminata.
- 4) In definitione repræsententur tantum notæ ; constantes est enim definitio conceptus completus ; hinc definitum semper per definitionem debet ab omnibus aliis posse discerni ; ergo debent repræsentari notæ definito semper convenientes ; illæ autem solæ sunt notæ constantes, & vel essentia- lia, vel attributa ; hæc igitur solæ repræsen- tentur in definitione. In descriptione pos- sunt etiam variabiles repræsentari.
- 5) Notæ in definitione repræsentatae sint communes, & propriæ. Nam definitio est conceptus distinctus completus ; ergo repræsentat definiti notas, in definito au- tem sunt notæ communes, & propriæ : ergo

ergo & definitio has repræsentet. Unde definitio constet genere (46.) & differentia (48): Sed, quantum fieri potest, generare proximo (47.), & differentia specifica: nam remotum habet notas pauciores, quam genus proximum; & differentia generica pauciores, quam specifica (45.).

6) Notæ definitionis simul sumtæ convenientia definito soli, & illi omni, cui convenit definitum. Nam si notæ simul sumtæ etiam convenienter aliis, per has definitum ab omnibus aliis non distingueretur, quod est contra finem, & conceptum definitionis. Si vero non convenient omni, cui convenit definitum, jam definitum convenient pluribus, quam definitio, ergo per illam non posset distingui ab iis aliis, quibuscum præterea convenient, quod iterum est contra notionem definitionis. Hinc definito nec latior, nec angustior sit definitio, & definitio, & definitum sint conceptus reciproci (44.) Peccant hæ: virtus est habitus agendi; &: virtus est habitus agendi secundum leges urbanitatis.

7) Definitum, aut potius definiendum, non sit in definitione sua tanquam nota neque ut mediata, neque ut immediata (36. n. 7.), idem enim nequit se ipso esse clariss; quæ autem in definitione insunt, eum in finem insunt, ut definitum reddatur clariss. Sic non valet: Triangulum est figura

ra triangularis. Si definitum fiat nota mediata sua definitionis, committitur *circulus* (die Wiederkehr im Erklären), vel proximior, vel remotior, prout nempe resolutionis notarum definitionis sèpius institui debet, donec deveniatur ad ipsum definitum. E. g. *Naturale* est effectus, qui contingit absque miraculo, & miraculum est effectus non *naturalis*. Item: *Quantitas* in rebus est id, quod augeri, aut minui potest; augetur vero id, quod majus redditur; majus est id, cuius pars alteri toti est æqualis; æquale alteri est id, quod eandem cum altero *quantitatem* habet.

B) Ex parte terminorum:

- a) generatim: adhibeantur termini, qui habent perfectiones eorundem (86.).
- b) speciatim
  - 1) In definitione non sint termini vagi (77); hinc, si adhibendi sunt, figantur.
  - 2) Nunquam adsint perfecte synonymi: nihil enim distinguunt. Imperfecte synonymi, si serviant ad claritatem etiam relativam (12.), adhibendi sunt.

§. 90. Conceptus vel vere, vel apparenter *negativus*, si determinatus sit, est *definitio negativa*. Hæc valet, si definiti oppositum jam ante definitione positiva fuit declaratum, aut ipsum definiendum sit negatio.

§. 91. Definitio, quæ definiti essentiam, adeoque complexum essentialium definiti, repræsentat, est *realis* (eine Sacherklärung); quæ definiti essentiam non repræsentat, sed vel essentialia aliqua, vel attributa, vel utraque simul, est *nominalis* (eine Wörterklärung). Triangulum est spatium tribus lineis clausum, est realis. Triangulum est figura tres tantum habens angulos, est nominalis.

§. 92. Definitio ortus rei est genetica (die Erklärung der Entstehungsart). Hæc a quibusdam sola dicitur realis, quia repræsentat modum, quo res possibilis est. Rei vero ex ortu suo declaratio est descriptio rei genetica. E. g. Circulus oritur, si recta puncto immobili affixa ducatur in orbem, donec ad punctum illud redeat, a quo moveri cœpit; & hæc: circulus est figura, quæ oritur, si recta puncto immobili affixa ducatur &c. Prior est definitio ortus circuli; posterior est descriptio genetica circuli.

§. 93. In omni definitione fit resolutio conceptum, e quibus conceptus definiendus coalescit: sic conceptus legis definitione resolvitur in hos: 1) decreti, 2) superioris, 3) obligationis, 4) subditi. Ubi nulla resolutio possibilis est, nulla etiam possibilis est definitio.

§. 94. Definitio nominalis potest fieri per plura, aut pauciora, per hæc vel alia definiendi essentialia, vel attributa, vel utraque simul, quomodocunque facta sit, erit legitima, si sit conceptus distinctus determinatus; atque hinc simul patet,

patet, posse plures definitiones nominales esse legitimas: e. g. Deus est ens independens; est ens infinitum; est ens necessarium. Neque alio sensu definitiones nominales arbitrariæ sunt, quam quod possim eligere ex notis rei constantibus, quas voluero. Unde una definitio nominalis altera fœcundior, clarior, & ad finem propositum aptior esse potest.

§. 95. Definitio vera est, quæ convenit cum definito & regulis logicæ (89.); quæ convenientia, si clare cognoscatur, definitio certa est. Omnis autem definitio certa esse debet: ceteroquin ex illa nihil certi cognosci potest.

§. 96. Si quid cognitioni additur, ut fiat certa, dicitur ipsa *probari*. Hinc definitioni, nisi per se satis clara sit, addatur, ut certum fiat, esse definitionem veram; sive: definitio, quatenus definitio, probetur.

§. 97. Formaturus definitionem realem 1) inquirat in essentiam definiendi a) attendendo ad ortum rei, si fieri id possit: dum enim cognoscitur modus, quo res aliqua oritur, mediate, mediante scilicet conceptu intuitivo, simul possibilitas rei cognoscitur. b) Resolvendo, si res fuerit composita: cognitis enim partibus, earundemque nexus cognoscitur essentia compositi. c) Abstrahendo, & combinando: abstractione enim deteguntur genera, & species, & horum essentiaz; combinatione autem, etiam quandoque arbitraria (57.) detegitur rei alicujus possibilitas. Sic multarum rerum essentiaz; combinatione detectæ sunt in mathesi,

thesi, in mechanica, in arte medica &c. d) Investigando rationes proprietatum rei, & rationum rations, donec deveniatur ad primas: hæ enim simul sumtæ essentia sunt 2) Essentia determinata, formet illius conceptum distinctum determinatum, eundemque terminis claris & certis proponat.

§. 98. Formaturus definitiæm nominalem 1) inquirat in essentialia & attributa (68, lit. d) & 97.) 2) Ex his seligat illa, & tot, quot ad conceptum distinctum determinatum requiruntur, & conceptum proponat terminis.

§. 99. Cum omnis definitio fiat resolven-  
do definitum in conceptus ipsum ingredientes, &  
hos claros, patet, cognitionem definitione exten-  
sive & intensive perfici. Sed tamen, quæ clariora  
sunt, quam definitione fieri possint, non debent  
definiri: multa etiam a nobis non possunt definiri:  
hæc, si fieri possit, descriptione distinguantur: de-  
finitioni enim obscuræ, & incertæ semper præfe-  
renda est descriptio clara, & certa.

#### SECTIO IV.

### DIVISIONE.

§. 100.

Conceptum in aliquo conceptu contentorum  
(40.) enumeratio est partitio (Abtheilung). E.g.  
D. Con-

Conceptus legis continet in se 1) conceptum superioris, 2) decreti &c.

§. 101. Conceptuum sub aliquo conceptu contentorum enumeratio est *divisio logica* (eine logische Eintheilung). Si sit conceptum sub alio immediate contentorum enumeratio, est divisio logica stricte talis; si mediante contentorum, est logica latius sumta. Conceptus superior (42.) *divisum*, conceptus inferiores *membra dividentia* dicuntur; id, cujus respectu inter se differunt, fundamentum divisionis est (der Eintheilungsgrund).

§. 102. Potest idem ex diversis fundamentis dividi: sic ortæ divisiones *condivisiones* sunt (Nebeneintheilungen); in iis divisum *condivisum*, & *membra dividentia condidiventia* dicuntur. E. g. Conceptus dividuntur 1) ratione objectorum, in communes & singulares; 2) ratione modi repræsentandi, in claros & obscuros; 3) ratione ortus, in conceptus per sensum, per abstractionem, per combinationem. Objecta, modus repræsentandi, ortus, fundamenta divisionum sunt.

§. 103. Si quod membrum dividens iterum dividatur, divisio hæc *subdivisio* est (Untereintheilung). Cujus divisum *subdivisum*, & *membra subdividentia* dicuntur. E. g. Conceptus clausus alias est distinctus, alias confusus.

§. 104. Requisita divisionis sunt:

1) sit adæquata. Nam divisio est enumeratio conceptum sub alio contentorum;  
hinc

hinc omnium; debent ergo membra singula enumerari. Hæc simul sumta nec deficere possunt a diviso, nec ipsum exceedere: nam si deficiant, non sunt singula membra divisi; si excedant, jam unum, aut alterum patet latius, quam ipsum divisum; hinc sub hoc diviso non continetur. Ex his non valent hæc: status hominis aliud animam, aliud corpus spectat; & animalium aliud est homo, aliud brutum, aliud substantia.

- 2) Divisum conveniat singulis membris dividentibus. Nam conceptus superior continetur in singulis suis inferioribus (43.). Hinc mala esset divisio legis moralis in obligantem, & non obligantem.
- 3) Membra dividentia sint sibi opposita ita, ut unum alteri convenire nequeat. Nam si in uno ea insint, quæ sunt in altero, inter se non differunt; sunt igitur eadem; adeoque non sunt membra dividentia. Ex hac lege non valet hæc: Hominum alii sunt pii, alii impii, alii philosophi.
- 4) Membra subdividentia non misceantur cum dividentibus. Nam præterquam, quod inde oriretur confusio, etiam lex præcedens non servaretur: dum enim membrum dividens subdividitur, sit divisum; hinc singulis sub se contentis convenit; adeoque non daretur in membris singulis oppositio. Peccat hæc: lex alia est naturalis, alia positiva, alia humana.

§. 105. Si in divisione enumerentur membra mediate sub diviso contenta, adeoque subdividentia, sit in eadem *saltus*; qui licitus est, si claritas, aut brevitas, aut finis institutæ divisionis ita postulent; secus illicitus est. Sic potest valere hæc: lex alia est ecclesiastica, alia civilis.

§. 106. Omnis divisio logica combinatione obtinetur; hinc divisionem facturus 1) assumat notionem, quoniam ideæ dividendi non possunt, cum sub se non habeant conceptus inferiores. 2) Inquirat in differentias singulorum conceptuum inferiorum sibi invicem oppositas. 3) Has differentias successive conjungat cum notione, sive dividendo.

§. 107. Si qua in partitione, aut divisione membra dividentia ita disponuntur, ut subordinatio eorundem ob oculos ponatur, habetur *tabella*.

§. 108. Tabellam adornaturus scribat 1) partiendum, aut dividendum. 2) Membra dividentia juxta se collocet. 3) Cuilibet subscribat membra subdividentia. 4) Distinguat dividentia, & subdividentia lineis, aut characteribus diversis, & prima quidem majusculis, altera minoribus. Possunt etiam omnia membra sub se collari, sed ita tamen, ut accurata fiat per diversa signa distinctio, unoque membro dividente suis subdivisionibus exhausto, repetatur aliud ex adjecto charactere facile dignoscendum.

§. 109. Partitio, & divisio ad ordinem, claritatem, distinctionem, & probationem (96.) cogni-

cognitionis faciunt; hinc ad eam perficiendam: adjumenta præterea memoriarum maxima sunt. Unde earundem utilitas patet.

## CAP. II.

# DE JUDICIIS ET PROPOS- TIONIBVS.

## SECTIO I.

DE

# JUDICIIS ET PROPOSITIONI- BUS IPSIS.

## §. 110.

**C**onceptus plures vel sibi convenient, vel repugnant. Convenientia & disconvenientia sunt conceptuum aliqua relatio. Cognitio immediata relationis istiusmodi conjuncta cum actu mentis eandem dari adfirmantis est *judicium* (6.). Hoc terminis significatum est *propositio*, *enunciatio*, *thesis* (ein Satz).

§. 111. Conceptus, cui aliis convenire, aut repugnare ponitur, est *subjectum*; ille vero, qui alteri convenire, aut repugnare ponitur, est *predicatum*. *Subjectum* & *prædicatum* partes *judicij* & *propositionis materiales*, & *extrema* dicuntur. Conceptus convenientiarum copula (der Vers)

§4 Logica general. Cap. II. De judic. & propos.

Bindungsbegrif appellatur, estque pars judicij formalis.

§. 112. Conceptus absentiae alterius conceptus, & terminus eandem signans est negatio (die Verneinung). Hæc dicitur illum conceptum adficere, quem absentem per negationem representamus.

§. 113. Si negatio adficat copulam, judicium, & propositio negativa sunt. E. g. Materia non est substantia cogitans. Si non adficat copulam negatio, judicium, & propositio affirmativa sunt. E. g. Spiritus est substantia cogitans. Hinc etiam, si negatio adficat vel subjectum, vel prædicatum, non est propositio negativa, sed adfirmativa; ut tamen distinguatur, dicitur infinita, affirmativa cryptice (ein versteckt behahender, nur verneinend scheinender Satz). E. g. Non ulcisci injurias, cum possis, magna virtus est.

§. 114. Ad propositionem non requiritur, ut tres illæ partes (111.) semper explicite ponantur; sufficit, si in illas resolvi possit. E. g. Cogito, quod idem est, ac: ego sum cogitans.

§. 115. Si subjectum propositionis sit terminus significans ideam, propositio singularis est (ein einzelner Satz). Si subjectum sit terminus significans notionem, propositio communis est (ein gemeiner Satz). Hæc universalis est (ein allgemeiner), si prædicatum de singulis sub subjecto contentis adfirmatur, vel negatur; si vero de aliquibus tantum, propositio particularis est (ein bes. fons

sonderer Satz). E. g. Alexander Macedo fortitudine bellica excelluit. Homo est mortalis. Homo est philosophus.

§. 116. Adfectio propositionis, ex qua cognosci potest, de quibus prædicatum adfirmetur, aut negetur, est propositionis *quantitas* (die Weite des Satzes). Terminus quantitatem peculiariter indicans est *signum quantitatis*. V. g. Hic, ille, aliquis, omnis, nullus.

§. 117. Propositio, cuius subjectum est terminus communis nullo signo quantitatis adfæctus, est *indefinita* (ein Satz von unbezeichneter Weite). Cuius subjectum est signo quantitatis adfectum, est *propositio definita* (von bezeichneter Weite). E. g. Philosophus vir probatus est. Nullus homo effugiet mortem.

§. 118. Propositio, quæ aliam ingreditur tanquam pars partis, est *incident* (ein eingeschalteter Satz). Hæc etiam *minus principalis* dicitur (ein Nebensatz), & *propositio*, quam *incident* ingreditur, *principalis* (der Hauptsaß). E. g. Sententia docens unicam tantum dari substantiam, quam Spinoza commentus est, est falsa.

§. 119. *Propositio constans pluribus principiis est composita*, vel *explicite*, ita, ut sine resolutione *compositio* pateat, vel *implicite*, ita, ut *compositio* non nisi resolutione detegatur. Hæc dicitur *exponibilis* (ein zu entwickelnder Satz). *Propositio non composita simplex* est.

56 Logic a general. Cap. II. De judic. & propos.

§. 120. Propositio composita, quæ pluribus constat aut prædicatis, aut subjectis, aut utrisque simul, & omnia prædicata de omnibus subjectis aut adfirmat, aut negat, est copulativa (ein Verbindungssatz). Alexander, & Elitus erraverunt. Nec sobrio, nec ebrio ira suppeditat bona consilia.

§. 121. Propositio composita, quæ ex pluribus unum ponendum, reliqua tollenda adfirmat, quin determinet, quæ tollenda, & quid ponendum sit, disjunctiva est (ein Trennungssatz). Tollenda, & ponendum dicuntur membra disjunctiva, aut disjunctiones (Trennungsglieder). E. g. Vel anima hominis post mortem superest, vel non superest.

§. 122. Propositio, quæ prædicatum de subjecto sub conditione, per particulam conditionalem expressa, enunciat, conditionalis, sive hypothetica est (ein bedingter Satz). E. g. Si anima est ens simplex, est incorruptibilis. Pars, quæ complectitur conditionem, antecedens, quæ conditionatum, consequens est. Propositio, quæ conditionalis non est, est categorica (ein unbedingter Satz).

§. 123. Propositio, quæ enunciat causam, cur prædicatum subjecto conveniat, causalis dicitur. E. g. Alexander, quia se nimium efferebat, suis cœpit esse iovisus.

§. 124. Propositio, quæ enunciat modum, quo prædicatum subjecto convenit, modalis est.  
Modi

Modi autem hic adferuntur quatuor: *necessum*, *contingens*, *possibile*, *impossibile*. E. g. Mundus contingenter existit. Propositiones, quae modalis non est, dicitur *pura*. Modalis omnis est implicite *composita*; hinc exponibilis (119.); quales etiam sunt *exclusiva*, *exceptiva*, *comparativa*, *reduuplicativa*, &c. E. g. Caesar solus fuit causa belli civilis. Novit omnia præterquam se. Titus nobiliter sensit, quam Vespasianus. Civis, qua civis, bonum commune debet anteponere privato. Ex his definitiones patent.

§. 125. Prædicata propositionibus, in relatione ad se invicem spectatis, convenientia sunt earundem *qualitates relativæ* (*Verhältnisseigenschaften der Sätze*); & sunt *equipollentia*, *subalternatio*, *oppositio*, *conversio*.

§. 126. Propositiones æquipollentes sunt (*gleichgestehende Sätze*), quibus iidem respondent conceptus. E. g. Tranquillitas animi vera ex conscientia recte factorum est, & conscientia recte factorum veram parit animi tranquillitatem.

§. 127. Propositiones subalternæ (*untereinander geordnete Sätze*) sunt propositiones universalis & particularis eorundem extremorum (111.). E. g. Omnis virtus perficit hominem, & aliquis virtus perficit hominem. Universalis *subalternans*, particularis *subalternata* audit.

§. 128. Propositiones oppositæ sunt propositiones eorundem extremorum, quarum una affirmans est, altera negans.

§. 129. Propositiones oppositæ, quarum una id ad accurate dicit, quod requiritur, & sufficit, ut altera sit falsa, *contradictoriæ* sunt (einander widerprechende Sätze); quales sunt duæ singulares, & una universalis, & altera particularis eorundem *extremorum*, quarum una adfirmans, altera negans est. E. g. Cicero fuit adulator, Cicero non fuit adulator, &: omnis adulator vitandus est, aliquis adulator non est vitandus.

§. 130. Propositiones oppositæ, quarum una plus dicit, quam requiritur, ut altera sit falsa, sunt *contrariæ* (ganz gegen einander laufende Sätze). E. g. Omnis virtus perficit statum hominis, nulla virtus perficit statum hominis.

§. 131. Propositiones particulares, quarum una adfirmat, altera negat idem prædicatum de diversis subjectis, sub eodem tamen termino communi comprehensis, sunt *subcontrariæ* (etwas gegen einander laufende Sätze). E. g. Aliquis homo estimat virtutem; Aliquis homo non estimat virtutem. Cum non sint eorundem *extremorum omnium*, non sunt stricte oppositæ (128.).

§. 132. Si propositio adfirmans in adfirmandem, aut negans in negantem ita transfertur, ut prædicatum primæ fiat subjectum secundæ, & subjectum primæ prædicatum secundæ, habetur *conversio* (die Umkehrung des Sätzes). Prior *conversa*, & nova per conversionem orta *convertens* dicitur. E. g. Virtus hominem felicem facit; quod hominem felicem facit, est virtus. Si *conversa* & *convertens* ejusdem sint quantitatis (116.), dicitur

citur *conversio simplex* (die gleiche); si non sint ejusdem quantitatis, dicitur *conversio per accidens* (die ungleiche Umkehrung).

## SECTIO II.

DE

### VERITATE JUDICIORUM ET PROPOSITIONUM.

§. 133.

Judicium, hinc & propositio, verum est, quod convenientia adfirmat, disconvenientia negat; falsum, quod negat convenientia, adfirmat disconvenientia.

§. 134. In omni judicio, & propositione vera datur ratio, ob quam prædicatum subjecto conveniat, aut disconveniat. Ratio hæc dicitur *judicij & propositionis hypothesis* (der Grund des Urtheils, des Sakes). Ratio vero, ob quam aliquis judicat, prædicatum subjecto aut convenire, aut repugnare, est *judicantis hypothesis* (der Grund des Urtheilenden). Utraque ratio vel est sufficiens, vel insufficiens: sic in hac: Socrates fuit vir perfectus, una alterave virtus esset ratio insufficiens. In omni vera propositione semper est ratio sufficiens.

§. 135. Hypothesis sufficiens propositionis semper est nota aliqua subjecti vel necessaria, vel minus (36. n. 6.); hinc & hypothesis vel necessaria est, scilicet vel essentia, vel essentiale, vel attri-

tributum, vel non necessaria, nempe modus, aut relatio (36.).

§. 136. Hypothesis judicantis, si eadem sit cum hypothesi propositionis, dicitur *interna*; & ipse judicare ex re dicitur (er urtheist von der Sache aus ihr selbst). Si vero non est eadem, sed vel sensatio, vel testimonium, judicantis hypothesis est *externa*, & ipse ex experientia aut testimonio judicat de re.

§. 137. Propositio, quæ vera cognoscitur ex notis internis, dicitur cognosci ex charactere veritatis interno; quæ ex notis externis, ex charactere externo.

§. 138. Propositio universalis, tam adfirmsans, quam negans, vera est, si hypothesis illius sit nota subjecti necessaria. Nam tum conveniet, aut repugnabit prædicatum omnibus subjecti inferioribus, quod ipsum universalis enunciat.

§. 139. Propositio particularis tam adfirmsans, quam negans, vera est, si hypothesis illius sit nota subjecti non necessaria. Nam in hoc casu conveniet, aut repugnabit prædicatum aliquibus, quod particularis enunciat.

§. 140. Si hypothesis non necessaria cum subjecto ipso combinetur, fit hæc hypothesis ratio sufficiens in singulis sub conceptu combinato contentis; hinc prædicatum de conceptu combinato enunciatum illis singulis vel conveniet, vel repugnabit, eritque propositio universalis. E. g. Si in hac: Aliqua cognitio boni excitat voluntatem,

cognitioni adjiciatur hæc determinatio: *viva*, & sic efferatur: viva cognitio boni excitat voluntatem, erit hæc universalis.

§. 141. Propositio composita erit vera, si principales (118.) singulæ veræ fuerint & in se, & in hac connexione. Nam hæc duo propositio enunciat.

§. 142. Speciatim copulativa vera est, si singula membra vera fuerint; falsa, si vel unum membrum fuerit falsum. Nam enunciat ipsa singula membra convenire adfirmando, disconvenire negando; ergo, si vel unum ita se non habeat, sicuti propositio enunciat, ipsa est falsa.

§. 143. Disjunctiva vera est, si unum ex membris disjunctionis poni debeat, & reliqua tolli; falsa, si vel plura ponenda, aut nullum ponendum, aut nullum tollendum est. E. g. Vel temperantia, vel justitia, vel imbecillium oppressio commendat judicem. Felicitas hominis vel sita est in voluptatibus, vel in divitiis, vel in honoribus, vel Cæsar fuit felix, vel fortis (121.).

§. 144. Propositio conditionalis vera est, si antecedens sit ratio sufficiens consequentis. Hoc enim tantum ipsa enunciat. Jam autem posita ratione sufficiente necessario ponendum est rationatum: Inter illa vero, quorum positio uno necessario ponendum est alterum, datur *necessitas consequentiæ* (die Nothwendigkeit der Folge); hinc & in propositione hypothetica vera inter antecedens, & consequens (122.) debet dari *necessitas consequentiæ*.

§. 145. Propositio causalis vera est, si antecedens sit ratio sufficiens consequentis talis, quæ & causa sit. Si antecedens sit quidem ratio sufficiens, sed non causa, non est stricte causalis. Cetera coincidunt cum præcedentibus (144.).

§. 146. Exponibiles veræ sunt, si veræ sunt illæ, in quas resolvuntur (119. 141.).

§. 147. Aequipollentium, si vera sit una, vera est & altera; falsa una, falsa est altera, cum sint eorundem conceptum (126.).

§. 148. In subalternis (127.) vera subalternante vera est subalternata. Falsa subalternata falsa est subalternans. Sed non, si subalternata vera est, necessario vera est subalternans. Nam subalternans universalis est, quæ vera esse nequit, nisi singulæ particulares veræ sint. Subalternata particularis est, quæ vera esse potest, et si universalis falsa sit (138. 139.).

§. 149. Vera contradictiorum una, falsa est altera; & falsa una, vera est altera. Nam una id adcurate dicit, quod requiritur, & sufficit, ut altera sit falsa. Si ergo ambæ essent veræ, idem esset vi affirmantis, & idem non esset vi negantis. Si ambæ essent falsæ, falsa ideo esset affirmans, quia non jungenda jungeret, & falsa ideo esset negans, quia jungenda separaret (133.); idem ergo non esset ob falsam primam, & idem esset ob falsam secundam: nequit autem idem simul esse, & non esse.

§. 150. Contrariarum vera una falsa est altera; sed non falsa una necessario vera est altera. Nam si ambæ simul essent veræ, essent etiam veræ particulares omnes sub universalibus contentæ (138.). Hinc idem iterum simul esset, & non esset. Ut autem ambæ sint falsæ, non requiritur, ut omnes particulares sint falsæ; adeoque earundem aliquæ possunt esse veræ, aliquæ falsæ, quin inde sequatur idem esse, & simul non esse: erunt autem in casu posito ambæ universales, falsæ. Si vero non sint propositiones universales idem inde ostenditur: pone has: Darius vicit Alexandrum, &: Darius non potuit vincere Alexandrum, esse simul veras; vicisset Darius, & non vicisset Alexandrum: primum ob veram primam, alterum ob veram secundam: quia, qui non potuit, certo non fecit. Sunt autem ambæ falsæ: nempe plus dicendo falsum dici potest.

§. 151. Subcontrariarum falsa una vera est altera; sed non vera una necessario falsa est altera. Nam si ambæ essent falsæ, veræ essent duæ contrariæ: Nequit enim falsa esse particularis adfirmans, nisi vera sit opposita universalis negans; nec particularis negans falsa esse potest, nisi opposita universalis adfirmans vera sit. Falsa igitur una vera est altera. Ut autem ambæ veræ sint, sufficit, si prædicatum conveniat aliquibus sub termino communis contentis, aliquibus non conveniat; quod cum esse possit, possunt etiam duæ subcontrariæ esse simul veræ.

§. 152. Conversarum vera una vera debet esse & altera, falsa una, falsa est & altera. Nam si  
vera

Nam si vera sit conversa, & convertens falsa, aut vice versa, convertens re ipsa aut prædicatum, aut subjectum eo sensu non continet, quo conversa; adeoque hujus convertens non est. Si conversio fieri nequeat, quin oriatur convertens obscura, a convertendo abstine.

§. 153. Si judicis, & propositionis veritatem clare cognosco, judicium, & propositio mihi certa est, vel physice, vel logice, vel historice (10.); & vel metaphysice, vel moraliter (16.).

§. 154. Propositio, quæ intellectis tantum terminis metaphysice, aut mathematice (16.) certa fit, est *indemonstrabilis* (ein Satz, der keinen Beweis braucht). Si vero, ut ita certa fiat, adhuc plura requiruntur, est *demonstrabilis*.

§. 155. Propositio, quæ aliquid faciendum, aut omittendum enunciat, *præctica* est; quæ tale nihil enunciat, *theoretica*. Hæc *axioma* est (ein Grundsatz), si sit *indemonstrabilis*. E. g. Anima est id, quod est. Ista, si sit *indemonstrabilis*, *postulatum* dicitur (ein Hesschesatz). E. g. Qui vult perfectus esse, studeat perfectionibus acquirendis.

§. 156. Propositio *theoretica* *demonstrabilis* *theoremata* est (ein Lehrsatz). E. g. Anima hominis est simplex. *Præctica* *demonstrabilis* *problemata* dicitur (eine Aufgabe). E. g. Si vis caste vivere, debes te ipsum vincere.

§. 157. Propositio ex alia jam certa *profluens* ita, ut nulla demonstratione indigeat, *corollarium* est (eine Zugabe). E. g. Quædam distincte cognosc-


cognosco ; habeo ergo facultatem distincte cognoscendi. Si vero brevi adhuc demonstratione indigeat, dicitur *consecutarium* (ein Zusatz). E. g. Si demonstratum sit, causam creatam non posse annihilare aliquam substantiam, sit etiam demonstratum, animam hominis esse substantiam, & simplicem, sequitur, eam a causa creata non posse destrui, quoniam deberet annihilari.

§. 158. *Propositio ad demonstrationem non necessaria, sed tamen utilis ad eandem illustrandam, dicitur scholion* (eine Anmerkung).

§. 159. *Propositio ex alia quadam scientia, in qua iam non versamur, eum in finem accersita, ut ipsius ope propositio nunc occurrens demonstretur, lemma vel porisma audit* (ein Lehnsatz). Sic in physicis ex mathesi adsumuntur propositiones; in philosophia practica ex psychologia.

§. 160. *Analysis propositionis* (die Berglieferung eines Satzes) est ejusdem in illa, quæ continet resolutio eum in finem facta, ut cognitio propositionis reddatur distincta. Resolutio subjecti, & prædicati *exegetica*, resolutio convenientiæ *logica* analysis est. Utraque ad propositionem intelligendam utilis, & ad veritatem certo cognoscendam saxe necessaria est.





CAP. III.  
DE RATIOCINIIS.

SECTIO I.

De

RATIOCINIIS IPSIS.

§. 161.

**R**atiocinium (ein Vernunftschluß) est judicium de convenientia , aut disconvenientia duorum conceptuum ex adsumto conceptu tertio.

§. 162. In omni ratiocinio tres sunt conceptus: duo , quorum convenientia , aut disconvenientia determinanda est , & tertius , ex quo determinanda est; hinc tertius continet rationem , ex qua cognosci debet , an duo isti convenient , aut disconveniant inter se. Sed nequit duorum convenientia , aut disconvenientia determinari ex tertio conceptu , nisi facta singulorum cum tertio comparatione; ex hac autem comparatione oriuntur duo judicia , quæ sunt principium judicii tertii (8.). Hinc in omni ratiocinio tria sunt judicia.

§. 163. Duo judicia , quæ sunt principium tertii , dicuntur antecedens (die Vordertheile) , & ipsum tertium dicitur consequens (das Schlußtheil). Consequentis cum antecedente nexus consequentia est (die Folge). Antecedens , & consequens

quens *materia* (der Inhalt), & consequentia *forma* ratiocinii est (die Art und Weise zu schließen).

§. 164. Quale, & quantum est consequens, tale, & tantum est ratiocinium, scilicet: vel affirmativum, vel negativum, &: vel universale, vel particulare, vel singulare.

§. 165. In affirmativo determinatur convenientia duorum conceptuum ex eo, quia uterque cum tertio conceptu convenit. Hinc principium pro affirmativis generale: *a, & b convenientia cum tertio c, convenientia inter se.*

§. 166. In negativo determinatur disconvenientia duorum concepruum ex tertio ideo, quia duorum alter tertio convenit, alter eidem non convenit. Hinc principium pro negativis generale: *a, & b, quorum unum convenit cum c, alterum cum eodem non convenit, nec convenientia inter se.* Si duorum conceptuum neuter conveniret cum tertio, ex hoc tertio de illis duobus nihil cognosci posset.

§. 167. Ratiocinium terminis significatum est *syllogismus* (eine Schlüsserede). In ratiocinio tria judicia sunt; hinc in syllogismo tres propositiones. (110.), quarum duas priores dicuntur præmissæ, & quidem prima *major* (der obere), altera *minor* (der untere Satz), & tertia *conclusio* (der Schlussatz).

§. 168. In ratiocinio tres sunt conceptus, quorum duo sigillatim referuntur ad tertium, ut determinari relatio inter duos illos possit. Hinc

in syllogismo tres termini, quorum duo referuntur ad tertium, ut eorum alter de altero possit vel adfirmari, vel negari in conclusione; unde hi necessario in conclusione recurrunt; ita, ut unus sit subjectum, alter prædicatum ejusdem. Subjectum conclusionis *extremus minor* (der kleinere Hauptbegrif) & prædicatum *extremus major* (der gröfse sere Hauptbegrif); tertius, ad quem duo isti conclusionis termini in præmissis referuntur, & qui tantum in præmissis est, sed utriusque præmissæ communis, terminus *medius* dicitur (der mittlere Hauptbegrif, oder besser, die Ausdrücke dieser Begriffen). E. g. Omne vitium fugiendum est; Intemperantia est vitium, ergo intemperantia fugienda est. *Intemperantia* *extremus minor*, *fugienda* *extremus major*, & *vitium* terminus *medius* est.

§. 169. Quale, & quantum est ratiocinium, talis etiam & tantus est syllogismus. Hinc vel adformativus, vel negativus, &c. (164.).

§. 170. Si præmissæ sint propositiones simplices, syllogismus *simplex* est; si saltem una sit composita, syllogismus *compositus* est.

§. 171. Syllogismus compositus, cuius una præmissa est copulativa (120.), & negans, *copulativus*; cuius una præmissa disjunctiva (121.), *disjunctivus*; cuius una, aut utraque præmissa conditionalis, sive hypothetica (122.), *hypotheticus* est. Syllogismus hypotheticus, in quo conditionatum disjunctivum est, est *dilemma*, si duorum membrorum, *trilemma*, si trium, &c. in quo

quo tamen omnia membra tollenda sunt. E. g. Si qui in hoc exercitu defuerint officio suo, ergo vel duces, vel milites; nec duces, nec milites defuerint officio suo, ergo in hoc exercitu nemo defuit officio suo.

§. 172. Syllogismus, in quo tria judicia totidem propositionibus exprimuntur, *formalis* est (eine formliche Schlußrede).

§. 173. Syllogismus, in quo unum judicium ratiocinii non sit propositio, est *enthymema* (ein verkürzter Schluß). E. g. Homo sum; ergo errare possum. Item: omnis homo errare potest; ergo & ego. Enthymema etiam syllogismus *crypticus* dicitur, & sit formalis, si omissa propositio addatur.

§. 174. Enthymema, cuius præmissa talis est, ut ipsa posita, ex regulis logicæ statim inferenda sit propositio altera, est *consequentia immediata* (eine unmittelbare Folgerung). E. g. Ens contingens; ergo non est ens necessarium. Sit syllogismus formalis, si vel regula ipsa, vel regulæ conformis propositio tanquam præmissa altera addatur. E. g. Nequit idem ens esse contingens simul, & necessarium, aut neque contingens, neque necessarium; atqui est contingens; ergo non est necessarium. Obtinet hæc consequentia circa propositiones relatives (125.).

§. 175. Enthymema, cuius antecedentis propositio expressa conceptus inferiorcs enumerat, atque ex his ad conceptum superiorem concludit,

70 Logica general. Cap. III. De ratiociniis.

*inductio* est (ein Zergliederungsschluss). E. g. *Aurum, cuprum, plumbum, ferrum ab igne liquefunt; ergo omne metallum ab igne liquefit.* *Inductio est completa*, si inferiores omnes enumerauntur; si non omnes, est incompleta. In inductione omittitur hæc præmissa: Quidquid potest dici de singulis inferioribus, id potest dici de conceptu eorundem superiore.

§. 176. *Enthymema*, in quo ab uno inferiore ad aliud inferius, aut superiorius concluditur, dicitur *exemplum* (ein Beispielsschluss). Omittitur hæc: quæ convenient, aut disconvenient in tertio &c.

§. 177. Propositionis veritas vel ex unico syllogismo cognoscitur, vel ex pluribus. Si primum, dicitur probatio simplex; si alterum, probatio composita. Hæc polysyllogismus, ratiocinatio polysyllogistica, syllogismorum concatenatio audit (eine Schlüffkette).

§. 178. Concatenatio fit duplii modo: 1) ut conclusio præcedentis fiat præmissa syllogismi sequentis. E. g. Omne, quod intelligit, & vult, spiritus est; anima hominis intelligit, & vult; ergo ipsa spiritus est. Omnis spiritus est ens simplex; *anima hominis est spiritus*; ergo ipsa ens simplex est. Omne ens simplex est incorruptibile; *Anima hominis est ens simplex*; ergo ipsa est incorruptibilis.

2) Ut una præmissarum syllogismi præcedentis fiat conclusio sequentis. E. g. Omne ens simplex

plex est incorruptibile; anima hominis est ens simplex; ergo est incorruptibilis. Omnis spiritus est ens simplex; anima hominis est spiritus; ergo ipsa est ens simplex. Quidquid cogitat, & vult, est spiritus; anima hominis cogitat, & vult; ergo ipsa est spiritus.

§. 179. Si polysyllogismus sit series entymematum continue connexorum, & unius tantum conclusionis expressæ, dicitur *sorites* (ein gehäufter Vernunftschluß); in quo si conclusio constet ex subjecto primæ propositionis, & prædicato ultimæ, ipse sorites dicitur *ordinarius*. Si vero conclusio constet ex prædicato primæ, & subjecto ultimæ, dicitur *Goclenianus* ab inventore suo. E.g. *Anima hominis spiritus est, omnis spiritus simplex est, omne simplex incorruptibile est, ergo anima hominis incorruptibilis est;* &c: *omne simplex incorruptibile est, omnis spiritus simplex est, anima hominis est spiritus, ergo anima hominis est incorruptibilis.* Ex sorite tot formari possunt syllogismi formales, quot sunt præmissæ demta una.

§. 180. Polysyllogismus, qui oritur ex eo, quod præmissis sua statim subdatur probatio, dicitur *epicherema* (der Handgrif im Schließen). E.g. *Omne simplex est incorruptibile: neque enim habet partes, in quas resolvi possit; anima hominis est simplex: Nequit enim ens compositum cogitare; ergo ipsa est incorruptibilis.* Etiam epicherema in syllogismos formales facile resolvitur.

SECTIO II.

DE

VERITATE RATIOCINII, ET  
SYLLOGISMORUM.

§. 181.

**S**i iudicia in ratiocinio occurrentia vera sunt, & hinc syllogismi propositiones veræ, habetur *veritas materialis* (die Richtigkeit des Inhalts). Si verus sit inter antecedens, & consequens nexus (163.) habetur *veritas formalis* (die Richtigkeit der Art zu schließen).

§. 182. Veritas materialis syllogismi ex iis, quæ de veritate propositionum (a §. 133. ad 154.) dicta sunt; sed veritas formalis ex regulis legitimæ consequentiæ dignosci debet. Harum regularum complexus *syllogistica* audit (die Lehre von den Schlüssen).

§. 183. Consequentia est nexus consequentis cum antecedente, & consequens ex antecedente debet posse cognosci; hinc in antecedente debet esse ratio consequentis sufficiens. Unde regula generalis: *antecedens ut antecedens contineat rationem sufficientem consequentis*. Hoc enim, si sit, dabitur verus nexus inter antecedens & consequens; & hinc veritas formalis (181.).

§. 184. Detegitur, an in antecedente sit ratio sufficiens consequentis, si ex consequente formetur propositio causalís. E. g. Qui servit cupiditatibus, miser est; omnis impius servit cupiditatibus;

tibus; ergo omnis impius miser est & idcirco miser est, quia servit cupiditatibus, & quia omnis, qui istis servit, miser est.

§. 185. Antecedente vero, nequit falsum esse consequens. Pone enim falsum esse: ergo omnis impius miser est; erit hoc idcirco falsum, quia vel falsum, impium servire cupiditatibus, vel falsum, quod ille miser sit, qui servit cupiditatibus, vel quia utrumque falsum: sed tamen in antecedente utrumque dictum est esse verum; erit igitur idem verum, & falsum, quod implicat. Hinc consequente falso, antecedente vero nullum est ratiocinium.

§. 186. Antecedente falso nequit verum esse consequens. Pone enim esse: erit consequens idcirco verum, quia tota causalis vera (142.); at qui vel unum ipsius membrum, vel utrumque simul falsum est propter falsum antecedens; ergo idem verum, & falsum simul. Hinc consequente vero, antecedente falso, falsum est ratiocinium, & hujus signum syllogismus.

§. 187. Regulæ speciales vel sunt circa simplices, vel compositos syllogismos.

§. 188. Circa simplices sunt:

I. Ne sint plures, quam tres termini. Pone enim esse plures: hi vel sunt in antecedente, vel novus aliquis erit in consequente. Si primum, jam nequit ex antecedente cognosci aut convenientia, aut inconvenientia extre- morum; hinc hoc antecedens consequentis

rationem non continet. Si secundum, jam idem obtinet, & consequens non est illius antecedentis consequens. Adde notionem ratiocinii.

Oriuntur quatuor termini

- a) si mutetur terminorum significatio. E. g. Omne extensum est corpus; omne spatium est extensum; ergo omne spatium est corpus.
- b) Si antecedens constet binis propositionibus particularibus. E. g. Aliqua ira est virtus, sed aliqua virtus est mansuetudo; ergo aliqua mansuetudo est ira.
- c) Si medius terminus nunquam in antecedente sumatur universaliter. E. g. Omnis homo substantia est; omne brutum etiam substantia est; ergo omne brutum est homo. Item: omne finitum est mutabile; quidquid in mundo est, mutabile est; ergo quidquid in mundo est, est finitum.
- d) Si quis extremorum sumatur in conclusione in significatu vel latiore, vel angustiore, quam in præmissis. E. g. Epicurus erravit in natura animæ definienda; Epicurus erat philosophus; ergo omnis philosophus erravit in natura animæ definienda. Item: quidquid cogitat, existit; nullum corpus cogitat, ergo nullum corpus existit. Item: omne animal sentit; nullus lapis sentit; ergo tantum aliquis lapis non est animal.

2. Terminus medius non sit in conclusione. Nam in conclusione duorum extremorum convenientia, aut inconvenientia infertur; hinc ipsi locus non est (168.); peccat hic: omnis virtus est honesta; pietas est virtus; ergo aliqua virtus est honesta.
3. Antecedens non constet binis propositionibus negantibus. Nam ex tali antecedente non posset quidquam cognosci (166.); hinc nec esset antecedens. E. g. Nulla lex justa est in damnum illorum, quibus lata est; nullum consilium est lex justa; ergo nullum consilium est in damnum illorum, quibus datum est. Si in conclusione negatio adficiat prædicatum, etiam præmissæ sunt affirmativæ (113.). E. g. Catus non est pius; sed Catus etiam non est doctus; ergo quidam, qui non est doctus, est etiam non pius.

§. 189. Si syllogismus sit compositus (171.).

a) Hypotheticus. In hoc vel conditio istius conditionati est

I) unica tantum; & jam est hæc regula: adfirmata conditione, adfirmetur conditionatum; negata negetur; & v. v. Est enim conditio in vera propositione ratio sufficiens conditionati; posita autem ratione, ponitur rationatum, negata negatur rationatum; & posito rationato ponitur ratio, negato negatur ratio. E. g. Si sol supra horizontem nostrum emerit, dies est;

est; emersit; ergo dies est. Non emersit; ergo dies non est. Dies est; ergo emersit. Non est dies; ergo non emersit.

2. Vel non est unica, sed vera tamen; & est regula: adfirmata conditione adfirmetur conditionatum, & conditionato negato negetur conditio. Sed non negata conditione negetur conditionatum, nec adfirmato conditionato adfirmetur determinata conditio hæc. E. g. Si judex sciens innocentem condemnavit, est homo impius; sciens innocentem condemnavit; ergo est homo impius; non est homo impius; ergo sciens innocentem non condemnavit. Non valet: non condemnavit; ergo non est homo impius. Est homo impius; ergo sciens innocentem condemnavit.

b) Disjunctivus.

Reg. Posito in minore membro uno reliqua tolluntur in conclusione; & negatis in minore membris omnibus præter unum, hoc unum ponitur in conclusione; &, si tantum unum, aut aliqua membra negata sunt in minore, reliqua in conclusione sub disjunctione ponuntur. Propositio enim vera disjunctiva enumerat membra omnia, eaque ita opposita, ut simul vera, aut falsa esse nequeant. E. g. Vel hic mundus fortuito existit, vel est ex cœca necessitate, vel est opus entis intelligentissimi; est ultimum; ergo neque primum, neque secundum.

dum. Non est primum, neque secundum; ergo est ultimum. Non est primum; ergo vel secundum, vel ultimum.

c) Dilemma

1. ordinarium. Reg. Sit conditionalis, quæ sumitur vera, sed membra conditionata ita, de quorum nullo prædicatum in conditio-  
ne positum vere dici possit. E. g. Si ani-  
ma hominis interitura est, ergo vel actione  
causarum creatarum, vel voluntate Dei;  
neutrum dici potest; ergo non est interi-  
tura. Idem valet in trilemmate, quadri-  
lemmate &c. E. g. Si quis homo sit ab  
errandi periculo immunis, ille vel Euro-  
pæus, vel Americanus, vel Africanus,  
vel Asianus est; nec Europæus &c. est im-  
munis ab erroris periculo; ergo nullus.
2. Syllogismus cornutus, sive dilemma ita,  
atque eum in finem institutum, ut, quam-  
cunque partem adversarius ex antecedente  
disjunctivo elegerit, contra ipsum infera-  
tur. Celebre est illud Tertulliani adversus  
Trajani decretum: vel Christiani nocentes  
sunt, vel innocentes: si nocentes; cur in-  
quiri prohibes? si innocentes; cur dela-  
tis pœnam irrogas? Regulæ hujus sunt:
  1. Sit disjunctio stricta.
  2. Quæ inferuntur, ex iis membris legi-  
time sequantur.

3. Non sit antistrephon, sive reciprocum; quale erat Protagoræ contra Evatulum: vel pro me, vel pro te pronunciabunt judices; si pro me, solvere debes mercedem ex sententia judicium: si pro te, eandem solvere debes ex pacto. Retenta eadem disjunctiva reposuit Evathlus: si pro me, nihil solvo ex sententia: si pro te, nihil solvo ex pacto. Scilicet ita convernant, ut mercedis dimidium alterum solveret Evathlus tum, quando aliquam in foro causam vicisset: ipse vero, licet probe institutus, causam nullam suscipiebat.

d) *Copulativus.*

Reg. adfirmato membro quocunque, reliqua negantur. E.g. Nemo potest servire Deo, & mammonæ simul; servit Deo; ergo non mammonæ. Non autem negato membro uno ponuntur reliqua, nisi & membra simul esse falsa nequeant, & jam obtinet regula disjunctivorum.

§. 190. Si sit polysyllogismus (177.), sint

1. singuli syllogismi veri.

2. Inter singulos sit nexus.

3. Non sit concatenatio prolixior; talis ne sit:

a) divide polysyllogismum in partes plures, & quamvis seorsim proba, donec  
ad

ad principalem propositionem devenias,  
quæ probatis innitatur.

b) Abstine a syllogismis formalibus, ubi  
potes. Hinc utere consequentiis imme-  
diatis (174.), & etiam saltu lictio: hoc  
est: omitte præmissas, quibus omissis  
probatio nihilominus certa manet.

c) Adhibe soriten: sed hic serva

a) generatim

1. nulla præmissarum sit falsa, aut  
dubia.

2. Non omnes particulares (188. b).

3. Nec omnes negativæ (188. 3.).

b) Speciatim

1) in ordinario (179.)

a) sint præmissæ omnes universa-  
les præter primam, quæ alia  
esse potest.

b) Et omnes adfirmantes præter  
ultimam, quæ negans esse potest.

2) In Gocleniano

a) sint præmissæ omnes universa-  
les præter ultimam, quæ alia  
esse potest.

b) Et adfirmantes præter primam,  
quæ negans esse potest.

d) Ad-

d) Adhibe epicheremata (180.). Hęc vera sunt, si probatio vera sit.

§. 191. Syllogismus vitiosus vitium aperte präferens est *paralogismus* (ein Fehlschluss), vitium occultans est *sophisma* (ein Trugschluss).

Sophismata ad hos fere casus reducuntur:

a) Si termini vagi (77.), & improprii (78.) in diverso significatu adhibentur.

b) Si sensus compositus, & divisus permisceantur, quod sit, si termini iidem, sed in diverso nexus sumantur. E. g. Nemo potest servare legem, & eam transgredi simul; servas legem; ergo eandem transgredi non potes.

c) Si propositio particularis (139.) habeatur universalis (138.). E. g. Græcorum fides suspecta est; Chrysostomus erat græcus; ergo ipsius fides suspecta est.

d) Si, quod convenit speciei, tribuatur generi.

e) Dum aliud probatur, atque id, quod probandum erat, & appellatur *sophisma ignorationis elenchi*. Sic erraret, qui contra dogma catholicum, quod in adultis præter fidem charitatem operantem ad salutem necessariam dicit, pugnaturus necessitatem fidei probaret: cum ipsi eandem adstruamus.

f) §.

f) Si quid ex eo probatur, quod ipsum dubium, aut controversum est, & est sophisma *petitionis principii*. Hoc committeret Catholicus contra non Catholicum veritatem dogmatis probaturus ex decisione ecclesiae: cum adversarius negat, eandem ab erroris periculo immunem esse.

g) Quando idem per idem, conclusio ex præmissis, præmissæ ex conclusione probantur, est *circulus in probando*. E. g. Deus homines non decipit; ergo communis hominum consensus in aliquod dogma gravis momenti hoc dogma probat esse verum; est communis hominum consensus in dogma docens existere Deum; ergo existit Deus. Circulus a *regressu probationum* (Wechsel-Beweis) probe distinguendus. In regressu ex a jam aliunde probato probatur b, quo b admisso diversa probationum serie deducitur a. E. g. Ex scripturis sacris, inter dissentientes Christianos ut infallibile veritatis testimonium admissis, probant Catholici, ecclesiam Christi esse immunem ab erroris periculo in rebus ad fidem, moresque pertinentibus. Hoc stabilito, probant dein, penes ecclesiam esse judicium infallibile de authentia, veroque scripturarum sensu.

§. 192. Syllogismum dijudicaturus instituat ejusdem analysis, hinc reflectat ad omnia, quæ in syllogismo contenta sunt, ad præmissas, conclusio-

clusionem, & consequentiam; quæ omnia, si vera esse, clare cognoscat, certus est de veritate syllogismi.

§. 193. De syllogismorum figuris, & modis, sine quibus tamen syllogismi veritas detegi potest, hæc sufficient: figura syllogismorum est varia termini medii relate ad extremos collocatio, & est quadruplex, adsumtisque literis alphabeti; si terminus medius dicatur M, majus extremum C, minus extremum B, hoc schemate exhibetur:

MC	CM	MC	CM.
BM	BM	MB	MB.

Modus syllogismi est dispositio propositionum secundum qualitatem (113.), & quantitatem (116.) earundem. Scholastici illa notarunt his literis a. e. i. o., & his versiculis expresserunt; asserit a., negat e.: verum communiter ambæ. Afferit i., negat o.: sed particulariter ambæ. Et quoniam in quavis figura combinationes, seu dispositiones diversæ sexdecim sunt possibles:

aa	ea	ia	oa
ae	ee	ii	oe
ai	ei	ie	oi
ao	eo	io	oo,

exsurgunt syllogismorum modi sexaginta quatuor; quorum tamen novendecim tantum habentur legitimi his versibus expressi:

bArbArA, cElArEnt, primæ, dArII, fErIOque.  
cEsArE, cAmEstrEs, fEsInO, bArOcO secundæ.  
tertia grande sonans recitat dArAptI, fElAptOn,  
adjungens dlsAmIs, dAtIsI, bOcArdO, fErIsOn.  
cAlEntEs, bArAllp, dImAtIs, fEsApO, frEsIsOn.  
ad quartam spectant.

*Logica specialis.*

CAP. I.

DE

COGNITIONE PER SENSUS

§. 194.

**C**ognitio clara (12.) orta per sensus, experientia est, vel interna, si per sensus internos, vel externa, si per sensus externos orta est. Scientia experiendi, sive cognitionis per experientiam perficiendæ est empyrica (die Wissenschaft zu erfahren) subjective, distincta ab empyrica objective spectata; quæ est complexus veritatum conexarum de eadem re per experientiam cognitum.

F 2

§. 195.

§. 195. Cognitio clara immediate per sensus orta est *experientia stricte dicta*; mediate per sensus orta est *experientia latius sumta*. Sic immediate ex sensu interno cognoscimus existentiam cogitationis, & mediate facultatis cogitandi existentiam, scilicet inferendo, quod cogitat, etiam potest cogitare. Id, quod immediate per sensus cognoscitur, dicitur *phænomenon* (eine Erscheinung).

§. 196. Si statum rei, de qua aliquid experiri volumus, ipsi ita determinemus, ut experiamur, cognitio inde orta *experimentum* est (ein Versuch). Si sola attentio sufficit, ut experiamur, dicitur *observatio* (eine Beobachtung). E.g. Solutio argenti in aqua forti cognita, est experimentum; Ecclipsis solis cognita est observatio, vel *vulgaris*, vel *artificiosa*; illa sine instrumentis, hæc cum instrumentis instituta.

§. 197. Si id, quod per sensus clare cognoscitur, a nobis ipsis cognitum sit, est experientia propria; si ab aliis, est aliena.

§. 198. Immediate per sensus non possumus cognoscere, nisi talia, quæ re ipsa existunt: neque enim stricte experiri possumus, nisi talia, quæ sentire possumus; quæ non sunt, non possumus sentire; ergo neque stricte experiri; ergo si quædam stricte experiamur, illa debent existere. Sed tamen non omnia, quæ existunt, stricte experiri possumus.

§. 199. Quæ stricte experimur, existunt; quæ existunt, singularia sunt, & positiva; hinc *omnis*

omnis conceptus ex experientia stricta est idea, & omne judicium ex eadem est singulare, & positivum; adeoque nullus conceptus communis, nullum judicium commune, nullum negativum est ex experientia stricta.

§. 200. Experimur immediate tantum illa, quæ existunt (198.); hinc nihil ex illis, quæ ad existentiam non pertinent. Essentia, essentialia, & attributa non pertinent ad existentiam illorum, quæ sensibus nostris subiecta sunt: ceteroquin illa necessario existerent. Quare neque essentiam, neque essentialia, neque attributa sentimus immediate. Cum jam in rebus nihil supersit, nisi modus, & relatio (36. n. 6.); quidquid experimur, ipsum vel modus est, vel relatio.

§. 201. Inter causam, & effectum intercedit nexus: nexus rerum ratione perspicuntur: est enim ratio facultas repræsentandi nexus rerum. Unde causas quatenus causas non sentimus immediate; hinc nulla causarum cognitio est experientia stricta.

§. 202. Qui possilia, aut communia, aut univeralia, aut negativa, essentiam, essentialia, aut attributa, item causas pro immediate sensis habet, in vitium subreptionis (Erschleichungsfehler) incidit, quale semper committitur, dum illa, quæ sensa non sunt, pro sensis habentur.

§. 203. Per experientiam latius dictam cognoscimus illa, quæ ope rationis ex experientia stricta legitime inferuntur (195.); hinc jungendo rationem cum experientia.

§. 204. Ex existentia recte infertur possibilis, ex actu agendi facultas; ex singularibus sensis inductione incompleta judicium commune, inductione completa universale; ex prædicatis in re judicio intuitivo cognitis judicia negativa de istorum prædictorum oppositis. Hinc hæc omnia cognosci possunt per experientiam latius dictam.

§. 205. Si experiamur aliquid rei sensæ inesse constanter, nec unquam experiamur oppositum inesse, aut, quod inest, quounque modo mutari, potest ipsum esse aut attributum, aut essentiale. Si idem deprehendatur in pluribus ejusdem speciei, aut generis fit verisimile esse attributum, aut essentiale. Si præterea deprehendatur, illud salva re abesse non posse, certum est, esse attributum, aut essentiale; & quidem primum, si cognoscatur esse rationatum alterius: secundum vero, si cognoscatur esse alterius ratio ita, ut ipsum in illa re nullius sit rationatum. Hinc attributa, essentialia, & essentia cognosci possunt consociatione rationis cum experientia; & etiam hoc modo formari judicia universalia.

§. 206. Si experiamur posita existentia unius semper ponit existentiam alterius, & hanc nunquam ponit, nisi posita sit prior, conjicimus prius esse causam alterius. Si jam ope rationis deprehendamus rationem sufficientem in primo, cur existat alterum, deteximus causam. Hinc & causæ sunt objecta experientiæ latius dictæ.

§. 207. Fieri potest, ut plura simul sumpta sint ratio sufficiens alterius existentiæ, quæ singula ratio-

rationes insufficientes sunt. Hinc in concurso plurimum cave, ne uāum statim adsumas pro causa solitaria alterius.

§. 208. Iterum fieri potest, ut unum alteri coexistat, aut succedat, quin tamen alterius causa sit. Hinc cave, ne ita argumenteris: cum hoc, aut post hoc; ergo propter hoc.

§. 209. Quæ cognoscuntur per experientiam latius dictam, sive ex præmissis, quarum saltem una est experientia stricta, cognoscuntur a posteriori (aus der Erfahrung). Quæ cognoscuntur ex præmissis, quarum nulla est experientia, cognoscuntur a priori (aus der Vernunft allein).

§. 210. Quidquid stricte experimur, existit (198.); hinc experientia stricta est cognitio clara existentiaz orta per sensus; adeoque cum objecto suo conveniens: omnis autem cognitio cum objecto suo conveniens est vera (II.); hinc omnis experientia stricta vera est; adeoque & verus omnis conceptus intuitivus (50.), & omne judicium intuitivum verum est.

§. 211. Non habetur experientia stricta, nisi objectum vere fuerit sensum: ut autem objectum vere sentiatur, 1. tale sit, quod sentiri potest; 2. eo sensu, quo id nos sensisse ponimus; 3. removeantur ea omnia, quæ impedimento esse possunt, quo minus objectum sentiatur. 4. Sensus rite & saepè adplicantur. 5. Considerentur circumstantiaz, & adjuncta omnia, & dispiciatur sedulo, an non aliunde, quam, unde adparet, mutatio

tatio ista in nobis oriri possit. 6. Adhibeatur ratio: quidquid huic repugnat, sentiri non potest. 7. Attendatur ad aliorum de eodem objecto judicium, quod ipsum est unica norma, ad quam examinare possis, utrum sensus tui rite constituti sint, nec ne. 8. In experimentis adhibe instrumenta, quam fieri potest, probatissima, & cum omni accuratione adhibe.

§. 212. Experientia stricta est cognitio vera (210.); & ejus veritas clare cognoscitur; hinc & certa est (14.) certitudine physica (10.), quia est cognitio ex sensatione; & metaphysica (16.), quando oppositum cognoscitur absolute impossibile.

§. 213. Non est absolute impossibile, me cogitantem ita adfici, ac si existerent corpora, licet nulla essent; hinc *idealista*, licet desipiat, non adstruit absolute impossibile. Sed tamen est absolute impossibile, me ita adfici, & simul non adfici. Item, me mei affectionem sentire, & illam non adesse: cum ipsa sit id, quod sentio. Experientia igitur affectionum mei est metaphysice certa. Non negat idealista, se adfici, se affections sui percipere; hinc argumentum baculatorium per se satis rusticum etiam contra ipsum nullum est.

§. 214. Experientia latius dicta vera est, si 1. verum fuerit judicium intuitivum. 2. Verum illud, quod ex intuitivo infertur. 3. Verus inter utrumque nexus. Hæc omnia, si clare cognoscantur adesse, est ipsa experientia certa. Sic non dubitas

bitas de veritate conclusionis hujus ratiocinii: qui cogitat, habet facultatem cogitandi; cogito; ergo habeo facultatem cogitandi.

§. 215. Ex experientia tam stricte, quam late dicta possunt aliæ propositiones clare cognosci veræ; hinc experientiæ sunt principia (8.) certa, & demonstrativa.

§. 216. Per experientiam latius dictam etiam cognoscitur ex ratione; adeoque philosophice. Unde patet, etiam a posteriori posse multa philosophice cognosci, licet experientia stricta sit cognitio mere historica (10), quoniam est ex testimonio sensus.

## CAP. II.

DE

### *COGNITIONE PER RATIONEM.*

#### §. 217.

**R**atio (die Vernunft) est facultas cognoscendi rerum nexus. Scientia cognoscendi per rationem solam, hinc a priori (209.) est logica strictissime sumta.

§. 218. Quidquid cognoscitur a priori, cognoscitur ex præmissis, quarum nulla est experientia: hæ autem præmissæ continent rationem, ex qua conclusio cognoscitur vera; hinc conclusionis veritas cognoscitur ex ratione, adeoque philosophice

phice (22.). Omnis igitur cognitio a priori philosophica est; sed non omnis cognitio philosophica est a priori.

§. 219. Quidquid neque ex sensatione, neque ex testimonio cognoscitur, hoc non cognoscitur ex charactere veritatis externo (136. 137.). Ergo, si tamen cognoscatur, cognoscitur ex charactere interno. Quæ cognoscuntur a priori, illa neque ex sensatione, neque ex testimonio cognoscuntur (209.); hinc ex charactere veritatis interno cognoscuntur.

§. 220. Quæ cognoscuntur a priori, cognoscuntur ex charactere veritatis interno; hinc vel ex notis objecti cognoscendi internis necessariis, vel ex nexus necessario hujus objecti cum aliis veris conceptibus, aut judiciis, quorum tamen nullum est experientia.

§. 221. Notæ internæ necessariæ sunt essentia, essentialia, & attributa (36. n. 6.). Essentia exhibetur in definitione reali (91.). Quædam essentialia, vel attributa, vel utraque simul exhibentur in definitione nominali (91.). Hinc, quæ ex definitionibus his cognoscuntur, cognoscuntur a priori. Unde *primum a priori cognoscendi principium sunt definitiones.*

§. 222. Conceptus, & judicia vera, quæ non sunt experientiæ, possunt esse in nexus cum aliis ita, ut unum ad aliud se habeat, sicuti ratio ad rationatum; & quidem in nexus necessario ita, ut uno posito ponatur alterum, sublato uno tollatur

tur alterum. Hinc ex uno connexorum potest cognosci alterum a priori. Quare secundum a priori cognoscendi principium sunt conceptus, & judicia vera cum cognoscendis necessario connexa.

§. 223. Ex essentialibus potest cognosci essentia, & ex essentia attributa, & v. v. Hinc essentia, essentialia, & attributa possunt cognosci a priori, & sunt id omne, quod a priori cognosci potest. Nam modus, & relatio non sunt in definitione (89. n. 4.), nec sunt in nexus necessario cum essentialibus, aut attributis: ceteroquin essent notæ necessariae. Unde nec positis essentialibus, aut attributis ponuntur modi, aut relationes; ad-eoque nec ex ipsis cognoscuntur.

§. 224. Essentia, essentialia, & attributa sunt in individuis omnibus ejusdem speciei eadem; unde iis cognitis fiunt vera, judicia universalia. Hæc igitur a priori cognoscuntur. Nullum autem judicium, in quo prædicatum modus est, aut relatio, cognoscitur a priori. Sic hoc judicium: existit homo, a priori non cognoscitur.

§. 225. Ex definitionibus eruuntur axiomata, & postulata, theorematha, problemata, conlectaria, & corollaria (a 155. ad 158.) diverso tamen modo. Hinc hæc omnia etiam a priori cognosci possunt.

§. 226. Axiomata, & postulata ex unica definitione immediate deducuntur, & ita deducta dicuntur secundaria, quia ex definitione cognoscuntur. Formantur autem axiomata I. omitti en-  
do

do genus, vel differentiam (46). E. g. Data est definitio legis: lex est decretum superioris obligans subditos. Omitte genus, & prodibunt hæc axiomata: lex obligat; lex supponit superiorem; lex fertur inferiori. Omitte differentiam, & habebis hoc: lex est decretum. 2. Convertendo. E. g. Quidquid est decretum superioris obligans inferiorem, illud est lex; ubicunque habes tale decretum, ibi habes legem &c. 3. Adfirmativis ex definitione proxime deductis substituendo negativas propositiones æquipollentes. E. g. Quando non adest decretum superioris, non adest lex; ubi non est superior, lex non habet locum; ubi nulla lex, ibi nulla obligatio &c. Postulata simili modo formantur. E. g. Si obligare subditum velis, fer ipsi legem; si nolis obligare, a lege ferenda abstine &c.

§. 227. Theorematum, & problematum formantur ex collatione plurium definitionum, aut etiam ex aliis certis cum definitionibus connexis veritatibus. Et quoniam theorematum, & problema sunt propositiones demonstrabiles, cognosci debent per probationem; hinc talia formaturus procedat secundum ratiocinii regulas. E. g. Concepisti hanc definitionem Dei: Deus est ens perfectissimum; & hanc entis perfectissimi: est ens, quod omnes possibles realitates habet in omni possibili gradu. Vides etiam veram esse hanc propositionem: scientia est aliqua realitas; & scientia omnium, quæ sciri possunt, est inter realitates summas. Ex his omnibus rite dispositis inferis theorema hoc: Deus novit omnia. Similimodo

modo procede circa problemata condenda. E. g. Definisti ante: quid sit caste vivere; item: quid se ipsum vincere sit. Ex collatione utriusque confici potest hoc problema: si vis caste vivere, vince te.

§. 228. Si problema sit quæstio, in eo tria consideranda sunt: *quæsitum* (die Aufgabe), *solutio*, sive *responsum* (die Auflösung), & *data* (das Gegebene), quæ sunt illa, ex quibus solutio hauritur. Solutio vel per se evidens est, & tunc demonstratio illius non est necessaria; vel non est evidens, & demonstrari debet. Problema, quod est quæstio, tali modo efferri solet: sensum propositionis obscurum reddere distinctum. Cujus solutio est hæc: fiat subjecti, & prædicati notio distincta. Hæc propositio, quia actiones enunciat, quibus quæsitum obtinetur, vocatur *regula*.

§. 229. Problematis solutio a datis dependet; hinc ea inquirenda sunt, vel resolvendo quæsitum, vel attendendo ad illa, quæ aliunde de quæsito cognita sunt, vel ad illa, quæ in rebus aliis similia deprehenduntur &c.

§. 230. Consectaria, & corollaria formantur ex axiomatibus, postulatis, & theorematibus, & problematibus, si nempe propositiones cum illis connexæ eliciantur. Sic ex axiomatibus (226. ad ductis) deduces hoc consectarium: subditus secundum legem tenetur agere! Item hoc corollarium: par pari legem ferre non potest &c.

§. 231. Veritas cognitionis a priori eadem est cum veritate ratiocinii. Hinc, cum in ratiocinio

cilio vero omnes propositiones debeant esse veræ, & verus nexus (181.), etiam ad veritatem cognitionis a priori requiritur veritas omnium propositionum, & nexus.

§. 232. Quæ cognoscuntur a priori, per probationem cognoscuntur; probatio vero vel est *sufficiens*, sive talis, qua data ad conclusionis certitudinem ex præmissis nihil amplius requiritur; vel est *insufficiens*, sive talis, qua data adhuc requiruntur alia ad conclusionis certitudinem. Quæ per probationem sufficientem cognoscuntur, certa sunt, quæ per insufficientem, incerta sunt, sed tamen probabilia magis, aut minus.

§. 233. Quæ cognoscuntur a priori per probationem sufficientem, vel ita cognoscuntur certa, ut oppositum cognoscatur simul absolute impossibile, vel ita, ut cognoscatur hypothetice impossibile, hoc est, impossibile in nexus cum legibus naturæ, vel physicæ, vel moralis: in primo casu probatio est *demonstratio stricte dicta*, quæ si habeat præmissas, quarum nulla est experientia, est *demonstratio in sensu strictiore*. In secundo casu est *demonstratio latius sumta*.

§. 234. In demonstratione stricta, & strictiore præmissæ debent esse metaphysice certæ: nam & conclusio talis est (233.). Conclusio demonstrationis strictæ, aut strictioris ex certis distincte cognoscitur; hinc evidens est (eine völlig ausgemachte Wahrheit).

§. 235. In demonstratione strictiore nulla præmissa potest esse judicium intuitivum, sive experien-

perientia (223.). At in demonstratione stricta, & latiore possunt esse experientiae, & erit tunc demonstratio a posteriori (209.).

§. 236. Demonstratio vel unico syllogismo absolvitur, vel pluribus. Si primum, est demonstratio simplex; si alterum, est composita, & poly-syllogistica. Demonstratio composita, in qua est saltus licitus (190. lit. b.), est incompleta, in qua saltus non est, est completa. Ratiocinatio, in qua est saltus illicitus, vitiosa est, & non est demonstratio.

§. 237. Demonstratio composita potest fieri per syllogismos formales (172.), & etiam per non formales, sive enthymemata.

§. 238. In demonstratione stricta, & strictiore habentur tandem præmissæ indemonstrabiles, quæ si explicite positæ sunt, demonstratio dicitur consummata. Non semper requiritur, ut demonstratio consummetur, præsertim, si præmissæ demonstrationis antea fuerunt demonstratione consummata probatæ.

§. 239. Demonstratio vel talis est, ut veritas conclusionis distincte cognoscatur ex notis subjecti, & prædicati, vel non nisi ex falsitate, absurditate sententiæ oppositæ. Prior est demonstratio directa, ostensiva (aus den Merkmalen der selbigen Wahrheit); posterior est indirecta, apagogica, deductio ad absurdum (aus der Falschheit, Ungereimtheit des Gegensatzes hergeführter Beweis). Exemplum directæ hoc esse poterit: qui pacem

pacem turbat publicam , est noxius reipublicæ; seditionis pacem turbat publicam; ergo est noxius reipublicæ. Et indirectæ hoc: si seditionis non esset noxius reipublicæ, ergo etiam turbator publicæ pacis non esset noxius reipublicæ; hoc est vehementer absurdum ; ergo seditionis est noxius reipublicæ.

§. 240. Demonstratio , quæ a principiis ordinatur, & in illis fundatas conclusiones deducit, sive, in qua ex ratione elicetur rationatum, dicitur *synthetica* (21.). Quæ vero conclusionem in sua resolvit principia, sive in qua ex rationato elicetur ratio, est *analytica* (21.). Synthetica demonstratio præcipue adhibetur, si ex datis, sive cognitis principiis theorematum in iis fundata evolvenda sunt; & analytica, si pro datis theorematibus invenienda sit demonstratio.

§. 241. Dati theorematum demonstrationem analyticam formaturus 1. resolvat prædicatum theorematum in notas suas primas, sive, faciat adcuratam prædicati definitionem. 2. Notas primas, si necesse sit, resolvat ulterius. 3. Resolvat & subjectum, sive formet illius definitionem, si possit, realem, etiam plures definitiones nominales veras (91.). 4. Continuet resolutionem tamdiu, donec in notis quibusdam adpareat, subjectum prædicato vere convenire , aut repugnare. 5. His omnibus rite præparatis incipiat disponere demonstrationem ita, ut definitio prædicati, aut illius pars fiat terminus medius (168.), & theorema demonstrandum conclusio in syllogismo primo.

6. Vi-

6. Videat, an in primo syllogismo sit quædam præmissa ulterius probanda. Hæc ordinarie erit minor, eritque sequentis syllogismi conclusio: hujus vero syllogismi terminus medius ex resolutione prædicati dictæ minoris, & notæ, aut notarum ex illa resolutione cognitarum collatione cum subiecto dati theorematis deprehenditur. 7. Continuet tali modo probationem, donec ultimi syllogismi præmissæ sint definitiones, aut axiomata, aut propositiones alias demonstratæ, & erit demonstratio ad finem perducta. E. g. Sit datum theorema hoc: qui alium perversa docet dogmata, in jus naturæ peccat.

I. Fiat resolutio prædicati, & definiatur, quid sit peccatum: nempe est actio legi cognitæ contraria; hinc peccatum in jus naturæ est actio legi alicui naturali contraria. Quid lex, quid jus naturæ sit, potest hic ut cognitum supponi. Ex definitione fit axioma:

Quicunque ponit actionem legi alicui naturali contrariam, in jus naturæ peccat.

2. Fiat resolutio subjecti: a) quid est docere? Docere est alteri rationes vel veras, vel adparentes proponere, ex quibus ipse cognoscat, aut saltem putet, se cognoscere, propositionem prolatam esse veram.

b) Quid est perversum dogma? Est proposicio falsa connexa cum corruptela motum.

Ex his axioma:

G

Qui-

Quicunque alterum docet perversum dogma, docet falsum connexum cum corruptela morum.

3. Fiat resolutio ulterior, ut adpareant proximus connexa cum prædicato, aut subiecto theorematis; & emergent definitio[n]es, & propositiones axiomaticæ. Hic sequentes:

Falsum apprehensum ut verum, est error. Est *definitio* erroris.

Error est imperfectio intellectus. Est *axioma*. Error connexus cum corruptela morum est imperfectio, plures, & graves imperfectiones post se trahens. Est iterum *axioma*.

Qui alteri causat imperfectiones, statum illius reddit imperfectum. Est *axioma tertium*.

4. Inquiratur jam, an detur lex aliqua naturalis prohibens, ne quis alterius statum reddat imperfectum, & occurrit hæc lex generalis: *neminem lède*, quæ coincidit cum hac: alterius statutum ne imperfectorem reddito. Hæc ut demonstrata in jure naturali adsumitur. Hinc *axioma*: *actio*, qua alterius status redditur imperfectior, est contra aliquam juris naturalis legem.

His tanquam materia demonstrationis conquisi-tis fiat dispositio;

Qui-

Quicunque ponit actionem legi alicui naturali contrariam, in jus naturæ peccat; est axioma ex resolutione prædicati.

Qui alium perversa docet dogmata, ponit actionem legi alicui naturali contrariam;

Ergo talis in jus naturæ peccat.

P. m. ille ponit actionem legi alicui naturali contrariam, qui alterius statum reddit imperfectiorem; est axioma ex lege gen.  
J. N.

Qui alterum perversa docet dogmata, statum illius reddit imperfectiorem;

Ergo ponit actionem legi alicui naturali contrariam.

P. m. ille statum alterius reddit imperfectiorem, qui alteri causat imperfectiones; est axioma tertium n. 3.

Sed qui alterum perversa docet dogmata, causat alteri imperfectiones;

Ergo statum alterius reddit imperfectiorem.

P. m. qui alterum perversa docet dogmata, docet errores connexos cum corruptela morum, est axioma n. 2. Sed qui docet errores connexos cum corruptela morum, causat alteri imperfectiones; est axioma

secundum n. 3. Ergo, qui alterum per-  
versa docet dogmata, ipsi causat imper-  
fectiones.

§. 242. Demonstrationem analyticam for-  
maturus a posteriori 1. resolvat prædicatum secun-  
dum §. præced., si id necesse sit. 2. Circumspi-  
ciat, quid in rerum natura occurrat, ex quo pro-  
bari possit, prædicatum subiecto convenire. 3.  
Experientiam hanc, aut etiam plures evolvat,  
usque dum veritas ex experientiis illis clare cognoscatur.  
Sic, si quis vellet suscipere demonstrandum a posteriori theorema hoc: illud ludorum ge-  
nus, quod vulgo *lotteriam* dicimus, est, ut modo tractatur, perniciosum reipublicæ; is deberet:  
1. resolvere prædicatum perniciosum reipublicæ;  
possetque id fieri hoc modo: illud est perniciosum reipublicæ, e quo in plurimos cives damnum in-  
gens, utilitas vero in paucos redundat 2. Deberent inquireti experientiæ certæ, ex quibus proba-  
retur, multos cives damnum ingens in re sua do-  
mestica, statuque externo, quin etiam hinc inde  
in interno passos esse, & paucos, qui lucrum ex  
illo ludo fecerint; & his adductis res esset con-  
fecta.

§. 243. Demonstratio synthetica ex datis  
principiis principiata infert. Est igitur conversa  
analyticæ; adeoque formatur facile, si analytica  
data sit. Verum si data non sit analytica, sed  
tantum principia eum in finem, ut inde theore-  
mata eruantur, eadem deducturus 1. sumat datum  
principium pro primi syllogismi aliqua præmissa.

2. Ex-


2. Excogitet propositionem, quæ cum dato principio notionem aliquam habeat communem, & sit etiam propositio vel per se evidens, vel aliunde certa. 3. Inferat conclusionem. 4. Hanc conclusionem pro novo sequentis syllogismi principio ponat, & excogitet iterum novam propositionem, quæ cum principio hoc novo notionem communem habeat, & inde inferat conclusionem. Quotquot exsurgunt opera ita continuata, conclusiones, tot sunt theoremat. E. g. Sit datum principium hoc: ens simplex non habet partes. Excogitetur propositio alia, quæ habeat cum hoc principio notionem aliquam communem. E. g. Quod non habet partes, non potest in partes resolvi. Inferatur conclusio: ergo ens simplex non potest in partes resolvi. Hæc conclusio iterum statuatur ut principium, & excogitetur ut ante propositio nova: Ens simplex non potest in partes resolvi; quod non potest in partes resolvi; est incorruptibile; ergo ens simplex est incorruptibile &c.

§. 244. Via synthetica, si sint dati subjecti invenienda prædicata, aut dati prædicati subjecta, tum 1. fiat dati resolutio. 2. Ex hac formetur propositio certa, quæ sit principium. 3. Ex §. præced. formetur propositio nova. 4. Inferatur conclusio: hæc exhibebit unum quæsitum. E. g. Sit datum subjectum homo: fiat ejusdem resolutio; in hæc deprehenditur corpus, anima, in utroque notæ diversæ: adsumatur, quæ libet, & statuatur principium. E. g. Homo constat corpore;

qui constat corpore, est ens compositum; ergo homo est ens compositum; ens compositum potest interire partium dissolutione; ergo & homo ita interire potest &c. Item: sit datum prædicatum. E. g. Gratum. Resolvatur: gratum dicimus id, quod animæ moderatam occupationem suppeditat. Inquirantur, quibus ista notio conveniat, & erunt. e. g. nova, perfecta, pulchra &c. Animæ moderatam occupationem suppeditant; ergo hæc grata sunt,

**§. 245.** Demonstrationem dijudicaturus resolvat syllogismos singulos (192.), quemvis cum antecedente conferat, dispiciat, an inter quemvis antecedentem, & consequentem detur nexus. Si omnia requisita adesse clare cognoscat, certus est, demonstrationem esse legitimam.

**§. 246.** Non omnes veritates possunt a nobis demonstrari, & ex illis, quæ possunt demonstrari, alia facilius hæc via, alia alia possunt demonstrari; elige in iis, quæ demonstrari possunt, illam viam, qua clarius, distinctius, certius veritates demonstrantur. Qui, quamvis veritatem se demonstrare velle pollicetur, plus promittit, quam præstare possit; &, qui veritatem nullam admettere vult, nisi stricte demonstratam, plus postulat, quam præstari ipsi possit; & errat uterque,



CAP. III.  
DE  
COGNITIONE PER TESTI-  
MONIUM.

§. 247.

**T**estimonium in sensu latiore sumtum est adserio*n* alicuius eum in finem facta, ut illud, quod adseritur, ab alio verum habeatur. Testimonium strictius sumtum est adserio*n* facti ad mox dictum finem. Is, qui testatur, *testis* est, & is, qui propter testimonium id verum habet, quod alter testatur, *credit*; ad sensus propter testimonium præstitus *fides* est, si propter testimonium divinum, *divina*; si propter humanum, *humana*. Scientia per testimonium, humanum præsertim, cognitionem perficiendi est *martyrocritica*.

§. 248. Testimonium humanum stricte sumtum est adserio*n* facti; facta per experientiam strictam cognoscuntur; quæ per experientiam strictam cognoscuntur, sunt sensa; adeoque omne testimonium humanum stricte sumtum repræsentat rem sensam, vel præteritam, vel præsentem, vel hic vel alibi sensam, vel sensu interno, vel externo.

§. 249. Testimonium humanum stricte sumtum repræsentat rem sensam; hinc, quæ sentiri

non possunt, non repræsentantur per tale testimonium. At multa, quæ sentiri non possunt, possunt tamen ex sensis legitime inferri (a §. 204. ad 207.); hinc etiam ex testimoniois. Sic quasdam rerum causas ab aliis, e. g. Medicis, aut Physicis ex experienciis legitime illatas credimus, sed propter testimonium in sensu latiore sumtum (247). Si ipsi in aliorum experienciis earundem rationem, causamque detegamus, aut legitime esse illatam cognoscamus, per testimonium etiam philosophice cognoscimus. Si minus: cognitio per testimonium est tantum historica (10.).

§. 250. Nulla res impossibilis in illo respectu, in quo impossibilis est, potest esse res sensa; hinc non potest repræsentari per testimonium. At effectus mirabilis non est impossibilis, & potest tale quid sentiri, cuius causam nos ex naturalibus inferre non possumus, vel quia in iis non est, vel quia a nobis in iis nequit deprehendi; adeoque effectus mirabilis potest per testimonium humanum repræsentari. Sed hic, si ullibi, caveatur vitium subreptionis (202.).

§. 251. Rei sensæ narratio magis explicata, & uberior est *historia* (eine Geschichte), & hujus author *historicus*.

§. 252. Historia ratione rerum, quæ narrantur, diversa est. Quæ recenset res ad naturam earum partium, quæ hoc universum constituant, atque ad artes, facta tamen ab hominum actionibus liberis, harumque sequelis proximioribus præcisione

eisione; pertinentes, dicitur *historia naturalis* (die Naturgeschichte). Hujus partes sunt historiæ plantarum, animalium, morborum, meteororum (Eusterscheinungen), machinarum artificiosarum &c. Historia, quæ tractat de liberis hominum actionibus, & de iis, quæ cum his magis connexa sunt, *simpliciter historia* dicitur. Ad hanc pertinent a) *historia civilis*, aut *politica*, in qua referuntur status, fataque rerumpublicarum, actiones magistratum, & Principum, & illorum, a quibus in tempubicam plura, & grandia profecta sunt. b) *Historia ecclesiastica*, in qua similia, sed ad ecclesiam spectantia referuntur. c) *Erudita*, in qua status, fataque eruditionis enarrantur; & hæc vel refert partes eruditionis, & tum in illa initia, progressus, incrementa, decrementa aliquius scientiæ exhibenrur; vel refert vitas virorum doctorum, vel eorundem libros d) *Privata*, quæ refert vitas hominum privatorum cum statu rerumpublicarum, ecclesiæ, & eruditionis non admodum connexas.

§. 253. Historia quæcunque, quam ipsi non sumus experti, fide cognoscenda est; hinc per testimonium; adeoque historicus testis est illi, qui idem non est expertus.

§. 254. Testis vel ipse rem, quam narrat, est expertus, vel eandem ab aliis audivit. Si primum, testis dicitur *oculatus* (ein Augenzeuge); si alterum, *auritus* (ein Ohrenzeuge).

§. 255. Authoritas testis, qua testis, est ejusdem dignitas ex rationibus in ipso cognitis aptis ad adsensum in altero obtinendum.

§. 256. Rationes aptæ, & sufficietes ad adsensum alterius obtinendum, sive fidem, sunt scientia testis, & voluntas dicendi verum. Prior virtus dicitur dexteritas (die Geschicklichkeit); altera sinceritas (die Aufrichtigkeit des Zeugen). Una ex his sine altera non est ratio sufficiens, sed utraque simul.

§. 257. Quo clarius dexteritatem, & sinceritatem in teste aliquo cognosco, eo authoritas ipsius relate ad me major est; quo minus clare eadem, aut simul sumta, aut unum ex illis, cognosco, eo authoritas minor est. Testis, in quo nec dexteritatis quidpiam, nec sinceritatis cognosceretur, esset testis sine authoritate; si re ipsa nihil illarum virtutum adesset, absolute, secus respective.

§. 258. Dexteritas testis oculati dignoscitur ex his: 1. si rei fuerit præsens. 2. Si potuerit rite experiri, & eo sensu, quo se id expertum refert. 3. Si ea omnia in experiendo observaverit, quæ §. 211. requiri diximus. 4. Si polleat fideli memoria, ita, ut facile res, prout sensit, possit reproducere, aut memoriaz non sisus factum adnotaverit scripto. 5. Si præterea polleat facultatem, quam expertus est, perspicue proponendi.

§. 259. Sinceritas testis determinatur ex his: 1. si ipse sit vir religiosus falsiloquia aversans. 2. Si

Si nulla habuerit motiva ad falsiloquium, habuerit autem ad verum testandum. Hæc quo plura, quo graviora fuerint, eo ad dignoscendam sinceritatem aptiora sunt. 3. Si narraverit eo ipso in loco, in quo, ac tempore, dum res gesta erat. 4. Si non tacuerit suo, suorumque honori detrahentia. 5. Si propter testimonium suum malum vereri debuerit, aut re vera tulerit.

§. 260. Testis auritus respectu eorum, quæ ab alio audivit, est oculatus; ergo etiam iisdem sit dotibus ornatus.

§. 261. Testimonium verum est, in quo vere factum refertur, & ita refertur, uti factum est. Testis dexter scit factum, &, si simul sincerus est, refert factum ita, uti est factum; adeoque testimonium testis dextri, & sinceri est testimonium verum. Testimonium, in quo non refertur vere factum, vel non ita, uti factum est, est testimonium falsum. Sed tamen ex falsa aliqua circumstantia relata falsitas facti non statim inferri potest. E. g. Dum Constantinus Magnus a Silvestro Pontifice refertur baptizatus, licet Silvester illum non baptizaverit, non sequitur: ergo baptizatus non fuit. Testimonium referens impossibilita semper falsum est, quo ad illa, quæ impossibilita sunt; & testis talia referens non est dexter; hinc nec habet autoritatem.

§. 262. Testimonium testis, cuius dexteritas, & sinceritas ex notis sufficientibus clare a me cognoscitur, est testimonium mihi certum; si notæ cognitæ sint insufficientes, est incertum. In-

incerto vel plures adsunt notæ pro dexteritate, & sinceritate a me cognitæ, quam pro opposito, vel pauciores. Si primum: est testimonium *probabile*; si alterum: est *improbabile*; si notæ utrimque sint æquales, est testimonium *dubium* (17.).

§. 263. Adsensus præstitus ex notis cognitis sufficientibus, aut etiam pluribus pro veritate est fides *rationalis*, sive *oculata* (ein vernünftiger sehender Glaube). Adsensus, qui nota nulla cognita, aut æqualibus, aut paucioribus tantum cognitis præstaretur, esset fides *cœca* (ein blinder Glaube); & qui ita credit, *credulus* est (leichtglaublich). Qui vero non crederet testimoniis certis, aut nullis vere probabilibus, esset *incredulus* (unglaublich). Testimonia certa, & vere probabilia dicuntur *fide digna*.

§. 264. Testimonium divinum cum sit illius testis, in quo distincte per rationem cognoscitur sinceritas, & dexteritas summa, omne testimonium divinum est certissimum, & creditur fide *rationali*, sive sit testimonium de facto, aut veritate propositionis singularis, sive sit de veritate propositionis communis. Sed, cum Deum esse aliquid testatum sit res facti, hujus testimonii divini existentia, si per testimonium humanum cognoscenda est, cognoscatur fide *rationali* (263.).

§. 265. Si ex testimonio divino certo probetur, Deum homini alicui, aut pluribus, certis circumstantiis vestitis, promisso, se illis adfuturum, & non permisurum, ut errant, in illis cir-

cumstantiis non errabunt; verum igitur dicent, adeoque testimonium illorum in his circumstantiis verum est, & creditur ipsis fide rationali.

§. 266. Testimonium mere humanum testis oculati verum non est, nisi res vere fuerit facta, & ita facta, uti testis retulit (261.); nec auriti, nisi vere audierit, & ita retulerit, uti audiit. Sed licet auritus ita retulerit, uti audiit, non tamen idcirco res vere facta est. Hinc omne testimonium humanum de re facta verum debet habere testimoniū oculatum.

§. 267. Etiam unius testis oculati, cuius dexteritas, & sinceritas cognita est, testimonium parit certitudinem. Si tamen plures oculati dexteritatis, & sinceritatis cognitae idem testentur, nascitur certitudo major.

§. 268. Auritus de testimonio testatur; hinc testimonii testis oculatus est (260.). Sed de facto dum testatur, ipsius authoritas innititur authoritati testis oculati; & series quantacunque auritorum testem oculatum supponit; neque enim ipsis vere facta referre possunt, nisi retulerit oculatus.

§. 269. Testimonium auritorum in serie successiva est *traditio* (eine Ueberlieferung); in serie simultanea est *fama* (ein öffentliches Gerücht). Utrumque testimonium vel verum, vel falsum est; vel ex parte verum, vel ex parte falsum.

§. 270. Traditio, & fama vel habent oratum suum a teste oculato dextro, & sincero, & pro-

progressum suum ab auritis dextris, & sinceris; vel non habent ortum ab oculato, vel non a dextro, vel non a sincero, aut cui & dexteritas, & sinceritas defuit, vel non habent progressum suum a dextris, & sinceris. Si primum, traditio, & fama sunt testimonia vera (261.). Si unum ex aliis, tunc sunt vel testimonia omnino falsa, conficta, fabellæ, rumores sine capite; vel testimonia vitiata, defectibus laborantia, quibus, qui etiam in iis crederet, in quibus vitiata sunt, aut defectu laborant, esset nimium credulus.

§. 271. In veritatibus, quæ nobis via solius traditionis patefiunt, major gradus remotionis a fonte vires argumenti per se non infringit, uti fieri opinabatur cl. Lockius. Si enim, quod ipse ponit, primus testis fuerit fide dignus, & reliqui æquali fide digni, verum testimonium primi testes succedentes adcurate referent; non est igitur periculum erroris. An e. g. circa dogma, quod docet, infantes posse baptizari; de quo, ni fallor, Origenes suo tempore dixit, hoc traditione acceptum esse, nostro tempore auctum est erroris periculum, quia a fonte magis distamus, atque Origenes? Universim, si nulli traditioni fide rationali (263.) credi potest, jam omnis probabilitas de re gesta, ad quam & dogmata proposita pertinet, demum evanescere deberet, licet illius fides antea fuisset certissima; hoc autem qui credit, credulus est.

§. 272. Notæ, ex quibus traditio dijudicari potest, præter testimonia dotes sunt:

a) in

a) in factis. 1. Illorum publicitas, 2. granditas, 3. monumenta, quæ longo tempore extitisse aliunde certum est, aut quæ extant adhuc cum relatis optime convenientia, & eorundem quasi rationata. 4. Relatio ipsa uniformis, constans, & invariata. 5. Absentia omnis contradictionis cum aliis certis, & omnis inconvenientiæ cum loco, tempore, moribus hominum, imo convenientia cum iis omnibus deprehensa &c.

b) In dogmatibus ad religionem spectantibus (nam in ceteris ad veritatem parum prodest scire, quis docuerit) præter testimoniū dotes 1. gravitas, utilitas &c. dogmatis, 2. ejusdem connexio proximior cum reliquis religionis dogmatibus certis, 3. vestigia per omne ævum usque ad tempus religionis primum, 4. & vestigia hæc, si quando disparere videntur, hujus disparentiæ gravis, & solida ratio, 5. difficultas interse-rendi dogmatis, qualis esset, si alio tempore, quam primo, aut ab alio, quam ab autho-re ipso vel immediate per se, vel ejus auto-ritate a primis promulgatoribus, dogma sine tumultu, & populi commotione in-terseri non potuit; hujus tamen tumultus, aut commotionis excitatæ aliquando, ne minimum quidem extet documentum &c.

§. 273. In fama, cum ipsa testimonium simul existentium testimoniū sit, inquiratur in autho-rem

rem famæ, &c, si deprehendi is possit, debet esse testis oculatus, si fama sit vera. Dijudicetur ergo ex notis, ex quibus oculatus (258. 259.). Sed jam definit esse fama, & est tibi testimonium testis oculati. Si vero author deprehendi non possit, non ideo statim judicandum, famam esse falsam, sed considerandum 1. objectum famæ. 2. Circumstantiæ antecedentes, præsentes, & earundem cum objecto famæ connexio 3. Consequentia durante fama, si quæ sint: & hæc si sint solius objecti, quod fama ferebat, necessaria consequentia, fama sit certa. Si vero talia non sint, sed tamen sequelæ ejusmodi, ut ex illo, quod fama ferebat, facile consequi potuerint, oritur argumentum pro veritate famæ. E. g. Oritur belli tempore fama referens: hostilem exercitum esse cæsum: constabat ante, utrumque exercitum ita castra metatum fuisse, ut neuter sine periculo alicujus detrimenti recedere potuerit: fama durante pars hostilium copiarum, quæ arcem quandam obsidebat, subito obsidionem solvit, iterque adgreditur versus illam plagam, versus quam fama fert, reliquias cæsi exercitus recessisse. In his circumstantiis, qui famæ crederet, an crederet fide cœca, licet solutæ obsidionis aliæ potuerint esse causæ, quorum tamen jam nulla æque verisimilis occurrit.

§. 274. Testimonium verum est, quod est a teste dextro, & sincero (261.); sed testimonia, quæ opposita referunt, simul vera esse non possunt; hinc nec simul a testibus dextris, & sinceris. In testimoniis collisione inquirendum, in quo rationes dex-

dexteritatis, & sinceritatis infinit plures, ante quam possit ex iis uni praे altero credi fide rationali.

§. 275. In teste oculato, coævo, domesti-co, major ratio pro dexteritate est, quam in au-rito, recentiore, peregrino: sed non raro suspecta est oculati &c. sinceritas ob partium studium, ob metum, spem lucri, & istiusmodi alia. Exempla sunt obvia,

§. 276. Si oculati plures testentur idem, & inter illos sint, qui vitæ conditione, studio-rum ratione, & religionis instituto discrepant, si usque adeo adsint hostes, & inimici, testimonium habet notam sinceritatis summam. Omnino enim incredibile est, complures istiusmodi in mendacium conspirare. Si jam præterea notæ dexteritatis suf-ficientes adsint, tali testimonio ad veritatem nihil deest; & hinc contradicentes alii, sive coævi, sive recentiores non sunt fide digni.

§. 277. In collisione testimoniū potest contin-gere, ut in uno plures dexteritatis, & sinceritatis rationes detegantur, quam in multis aliis unanimi voce contrarium adserentibus. In hoc casu præ-ferendus est unus pluribus, vel maxime, si pru-dens est suspicio de collusione plurium, vel si plu-res ex uno eodemque testentur.

§. 278. Si testes, quorum unus muleum phantasie, & alter plus intellectui, a rationi tribuit,

tribuit, collidantur, præferendus est posterior priori ob dexteritatem. Ab iis, qui nimium phantasiæ tribuerunt, plurimam partem profectæ sunt narratiunculæ de spectris, & plures alia fabellæ.

§. 279. Si plures coævi testentur de facto, quod ab ipsis ex defectu requisitorum ad experientiam rite capiendam, examinari non potuit, & contrarium testentur recentiores, quibus nihil requisitorum defuit, posterius testimonium præferendum est primo ob dexteritatem testimoniū. Exempla sunt in historia naturali.

§. 280. Si coævi omnes factum memorabile taceant, & recentiores id referant, testimonium hoc jure in dubium vocatur, nisi silentii coævorum gravis adferatur ratio: quæ adferri vix poterit, si factum 1. fuerit publicum; 2. ad historiam, quam scribebant coævi, pertinens, aut adsint alia motiva, quare notari debuisset; 3. si ex adnotatione nullum in testes incommode redundaturum, prudenter timeri potuerit. Jam enim, cur nullus illorum talis facti meminerit, alia vix superest ratio, quam quia nescierunt; factum autem publicum, & grande, qui omnes ignorare potuerunt! Vel ob hanc solam causam, si cætera deessent, Philostrato fides habenda non est, dum post centum et apertos annos prodigia ab Apollonio Thyaneo patrata refert, tacentibus de eisdem coævis. Si unus, alterve coævorum factum non referat, ipsum ob illius silentium negari tuto non potest: potuit enim unus

unus ignorasse, potuit esse oblitus, potuit noluisse testari, quæ tamen in omnibus obtinuisse, credi non debet.

§. 281. Testis, qui nomen suum aperte præfert, anteponendus anonymo est, nisi suppressi nominis sufficiens adsit ratio: est enim sinceritas posterioris dubia.

§. 282. Testis pacatus, & modestus præferendus est acerbo, & vehementi, nisi aliunde constat, ex facti indignitate testem fuisse commotum. Nam acerbitas, & vehementia testis movet suspicionem odii; hinc defectus tam dexteritatis, quam sinceritatis.

§. 283. Testis simpliciter, sine fuso, & ampullis factum referens præferendus est testi ornati, ac elegantiis suis in relationibus nimium studenti ob magis certam sinceritatem. Ob eandem rationem præferendus est testis juratus non jurato.

§. 284. Cognitio per testimonium verum (261.) vera est. Si enim testimonium verum est, omnia adcurate referuntur, quæ facta sunt; hæc per testimonium cognoscens habet cognitionem convenientem cum objectis; hinc &c. veram (11.).

§. 285. Cognitio per testimonium talis, ut vi ipsius possimus cognita ab aliis discernere, est cognitio clara (12.); istiusmodi cognitionem per

testimonia s<sup>e</sup>pe obtainemus. Claritas cognitionis per testimonia admittit gradus, quos cognitio in genere (13.).

§. 286. Cognitio per testimonium certum (262.) est cognitio certa. Nam dum certi sumus de dexteritate, & sinceritate testis, cognoscimus, oppositum testimonii esse impossibile; talis autem cognitio est certa (14.); hinc & cognitio per testimonium certum. Sed haec certitudo est tantum moralis (16.).

§. 287. Veritas, claritas, certitudo perfectiones cognitionis sunt; hinc cognitio perficitur testimoniis veris, claris, certis. Sed etiam ubertas, & dignitas (18.) cognitionis perfectiones sunt, quae testimoniis comparari possunt, & maxime lectione historiarum tractantium de rebus grandibus vere, clare, distincte; & pragmaticarum, id est, talium, in quibus coniectaria multa practica ad vitæ felicitatem facientia continentur. Hinc tales historias lege, & abstine ab anilibus, & superstitionis fabulis, etiam Romanensibus scriptis (Romanen), si haec nihil, aut parum eruditionis habeant, bonisque moribus noceant.



## CAP. IV.

DE

### COGNITIONE PER INTERPRETATIONEM.

§. 288.

**S**i alios rite intelligam (75.) extensive, & intensive perfici cognitio mea potest. Sed non possum alios intelligere, nisi ex signis (70.), nec rite intelligere, nisi ex ipsorum signis ipsa illa cognoscam, quæ ipsi signant. Scientia cognoscendi signata ex signis est hermeneutica universalissima (die ganz allgemeine Auslegungskunst).

§. 289. Homines conceptus suos, quos communicare eum aliis volunt, signare debent, hinc signis uti: hæc signa vel videri tantum possunt, & dieuntur characteres (Züge), vel etiam audiri; signa, quæ audiuntur, si sint certi articulati toni, vocabula sunt.

§. 290. Characteres, si signant immediate vocabula, & his mediantibus conceptus dicuntur, characteres nominales, quales sunt hæc ipsa, quæ scribo. Si signant immediate conceptus, & res ipsas, quæ etiam vocabulis signari possunt, sunt characteres reales, quales erant hieroglyphi Aegyptiorum.

H 3

§. 291.

§. 291. Complexus vocabulorum in regione ampliore usitatorum est *lingua particularis* (eine besondere Sprache), *viva*, si adhuc in usu publico, communique obtineat, quales sunt *lingua germanica*, *gallica &c.*; *morta*, quæ aliquando in usu publico, & communi fuit, sed modo in tali usu non est, quales sunt *græca*, *latina &c.*

§. 292. Complexus vocabulorum in regione non adeo ampla usitatorum est *idioma* (eine Mundart), e. g. *idioma saxonum*, *suevicum &c.* *idioma perfectius dialectus* est (der Dialekt, oder eine in einem höheren Grade ausgebesserte Mundart), e. g. *dialectus attica apud Græcos*, *saxonica inter Germanos.*

§. 293. Series vocabulorum conceptus conexos significantium est *oratio* (eine Rede). Orationis vero sensus (der Sinn der Rede) est series conceptuum, quos alter significare voluit.

§. 294. Complexus regularum, secundum quas orationis cujuscunque sensus cognoscendus est, est *hermeneutica generalis*. Quæ tantum complectitur regulas ad sensum hujus, aut illius orationis cognoscendum observandas, est *hermeneutica specialis*. E. g. Ad sensum orationis dogmaticæ intelligendum,

§. 295. Qui sensum ex oratione cognoscit, cumque proponit, dicitur *interpres* (ein Ausleger), & ipsa sensus cogniti propositio *interpretatio*.

Hæc

Hæc, si sit ab ipso authore, dicitur *authentica* (seiner selbst Erklärung, oder seines eigenen Sinnes); si ab alio ex communi verborum usu, & consuetudine verba ita accipiendi, est *usualis* (eine gemeine); si sit ex regulis hermeneuticæ, est *doctrinæ*, *logica*, *philosophica* (eine gelehrtæ).

§. 296. Propositio quævis explicanda dicitur *textus*, & quæ cum hac connexa est, *contextus*, sive explicandam antecedat, sive sequatur, sive mediate, sive immediate, sive expresse, sive minus.

§. 297. Si vocabula, quibus series conceptum significatur, proprium significatum retineant, sensus est *proprius* (eigentlicher Sinn). Si non retineant, sensus est *improprius*, *tropicus* (uneigentlicher, figurlicher Sinn). E. g. Illud Horatii: o navis! referent in mare te novi fluctus?

§. 298. Sensus *immediatus* est, qui ex solidis vocabulis cognosci potest. *Mediatus* est, qui est cum immediato connexus. Sensus per ipsa vocalula sive immediate, sive mediate significatus est *litralis* (der buchstäbliche); per literalem significatum est *mysticus* (der geheime, verborgene Sinn), & hic est mediati species. E. g. Ipsa, sive ipse, conterat caput tuum Gen. lib. est mysticus, dum intelligitur de dominatu in dæmonem exercendo.

§. 299. Sensus orationis *possibilis* est ille, qui neque fini, quem author sibi præfixit, neque ora-

orationi contradicit. Sensus *intentus* est ille, quem author verbis suis subesse voluit. Hic, si per finem authoris, & orationem ipsam determinetur, *innatus*, genuinus est (in der Rede gebrüderter Verstand). Sensus, qui non est innatus, *illatus* dicitur (in die Rede getragener Verstand). Sensus ab authore ipso intentus, & secundum regulas hermeneuticas cognitus est sensus *hermeneutice verus*, qui tamen in se potest esse falsus. Sensus *absurdus* (ein ungereimter Sinn) est, qui vel propositioni alicui certæ contradicit, & est *absolute absurdus*, vel qui contradicit alicui propositioni ab authore positæ, aut ratione sui systematis ponendæ, & est *relative absurdus*.

§. 300. *Adcommodatus sensus* (ein anfressender Sinn) est sensus literæ similis, quem tamen authoris sensum esse, dubium, aut improbabile est. Hinc talis sensus non est innatus, sed sæpe frigida allusio.

§. 301. Sensus orationis est series conceputum, quos author vocabulis significare vduit; hinc cognitio authoris significata. Sed cognitio sensus (der Verstand der Rede) est intelligentis, & interpretis cognitio. Utraque, cum sit cognito, est perfectionum & imperfectionum capax, quarum capax est cognitio in genere (18). Sed præfectio adficiens cognitionem authoris non est onfundenda cum perfectione, quæ adficit cognitionem interpretis.

§. 302.

§. 302. Perfecta cognitio interpretis est, quæ clare & distincte repræsentat sensum authoris. Hanc ut interpres obtinere possit, prærequisitur a) notitia linguarum, & illius, in qua author scripsit, & cum hac cognatarum, & illius, in qua interpres interpretatur, idiomatum earundem, ac dialectorum (291. 292.). Defectus hujus notitiae causa est tam multarum falsarum, obscurarum, mutilarum interpretationum. b) Notitia historiarum. Hac destitutus ignorare potest finem, quem author scribendo habuit, circumstantias, sectam, conditionem authoris, scribendi occasionem, aliaque adjuncta, in quibus author versatus est, quæ tamen ad ipsius sensum cognoscendum sæpe necessaria sunt. c) Notitia criticæ, sive regularum dijudicandi, an liber, aut in libro textus sit re ipsa authoris hujus, nec ne.

§. 303. Liber, aut in libro textus dicitur *genuinus* (*das wahre, oder achte Werk, ein achter Text*), qui est ab illo authore profectus re ipsa, cui tribuitur. Liber, aut textus *suppositus* est (*ein unterschobenes Werk*), qui non est ab illo authore profectus, cui tribuitur. Textus *corruptus* (*ein verfälschter Text*) est, qui non ita ab authore profectus est, uti jam comparet; si quædam in textu omissa sint, dicitur *mutilatus* (*verstümmelter*); si adjecta, *interpolatus* (*untersetzter Text*). Liber, in quo textus sunt mutilati, aut omissi, etiam *mutilatus*; in quo sunt interpolati, aut novi additi, *interpolatus* vocatur.

§. 304. Liber, textusque genuinus a non genuino ex notis dignoscendus est:

a) Liber ex his: 1. si ab illo tempore, quo primum comparuit, ad hæc usque tempora semper illi authori adscriptus fuit; nec sit ulla ratio in contrarium, habendus est liber genuinus. 2. Liber omnibus coævis, & proxime coævis illius authoris, cuius esse dicitur, incognitus, vel suppositus est, vel saltem suspectus, si coævi, & proxime coævi ex hoc libro optima, & necessaria documenta potuerint adducere. 3. Si liber sit inscitia refertus, aut ineptis, & ridiculis fabellis scateat, non est viri in iis rebus versati, perspicacis, & gravis opus.

4. Liber aperte impia dogmata continens, aut probans impia dogmata aperte continentes libros, etiam in iis, quæ cum his dogmatibus connexa sunt, non est opus viri pii, & probati. 5. Si stylus (die Schreibart), qui est coordinatio orationis authori alicui solemnior, sit diversus ab eo, quo author in operibus certo genuinis utitur, liber suspectus redditur. Sed tamen potest esse stylus ejusdem authoris diversus pro rerum diversitate, pro ætatis ipsius authoris diversitate, potest etiam ipse, si latere voluit, stylum mutasse. Interim convenientia styli est aliquod argumentum pro authentia: rarius enim contingit, ut in uno, eodemque stylo plures convenient. Simili modo judicandum de diversitate,

aut

aut convenientia styli cum stylo saceruli: habent enim & aetates fere singulæ suum proprium stylum. 6. Liber, in quo res, aut personæ memorantur aetate authoris certe posteriores, aut vocabula, modique loquendi adhibentur, quæ longo post authorem tempore primum cuperunt esse in usu, est suppositus, aut certe interpolatus vel studio, vel casu, dum nempe inficitia typothetæ notæ marginales textui additæ sunt. 7. Liber authori gravi, & circumspecto adscriptus, continens sententias in re magni momenti oppositas iis, quas author idem in operibus certo genuinis tuetur, suspectus est, nisi aliunde constet, authorem a sententia sua recessisse.

- b) Textus, dum lectiones sunt variantes, hoc est, dum in diversis exemplaribus textus diversi adparent vel in codicibus ipsis, vel in versionibus, aut citationibus, dijudicatur speciatim ex his: 1. qui cum authographo, aut scripto ipsius authoris consentit, est genuinus. 2. Si autographon interierit, præferendus est ille textus, qui consentit cum codicibus, citationibus aetati authoris prioribus, nisi aliunde gravis ratio obstat: sine hac enim præsumi non debet a proxime coævis textum fuisse corruptum. 3. Præferendus est etiam textus, qui fini authoris, quem scribendo habuit, circumstantiis, in quibus scripsit, stylo quo author uti solet, conformior est.

Cete-

Ceterum textus etiam ex quibusdam notis, ex quibus integer liber genuinus, dijudicatur. In versionibus, & citationibus dexteritas, & sinceritas vertentium, ac citantium consideranda sunt.

§. 305. Interpres sensum authoris cognoscit (295.); sed textus corruptus non continet sensum authoris; hinc nequit ex illo sensus authoris cognosci, cognoscitur igitur ex textu genuino (303.).

§. 306. Textus ejusdem genuini s<sup>e</sup>pe plures sensus sunt possibles (299.), uti tam varie legum, & scripturarum interpretationes satis ostendunt. Si ex pluribus possibilibus unus aliquis ita per regulas hermeneuticas determinetur, ut ipse solus verus, reliqui omnes falsi habendi sint, oritur *necessitas hermeneutica* circumscribens interpretem.

§. 307. Propensio interpretis ad eum e pluribus possibilibus sensum pro sensu authoris habendum, qui authorem commendat, sive cum perfectionibus authoris convenit, donec constet contrarium, est *æquitas* interpretis (die *Billigkeit*); & *iniquitas* interpretis est propensio ad sensum, authoris perfectionibus contrarium, pro sensu authoris sine sufficiente ratione habendum.

§. 308. Hermeneuticæ principium generale est: *interpres æquus esto.* Nam de quovis authore saltem mediocriter bono præsumendum est, quod

quod cognitionem dignam, veram, claram, certam, aut saltem probabilem significare voluerit; hinc perfectionibus suis studuerit. Postulant id etiam officia hominis erga hominem, ut ne quis de altero sine ratione sufficiente pejora sentiat.

§. 309. Postulat authoris perfectio, ut vere conceptus significet, & non proferat signa nihil significantia. Hinc interpres ubique supponat sensum, & nullos terminos inanes, quamdiu non adest ratio sufficiens in contrarium.

§. 310. Interpres nonnisi unum ex pluribus possibilibus sensibus verum, & ab authore intentum judicet. Nam perfectio authoris postulat, ut unam determinatam conceptuum seriem voluerit significare.

§. 311. Interpres sensum authoris totum cognoscat; alioquin authorem non omnino intelligit.

§. 312. Interpres etiam sensum mediatum pro sensu authoris habeat. Nam est perfectio authoris simul significare conceptus, qui cum conceptibus per vocabula significatis interne, ac necessario connexi sunt. Non tamen deducat ad odium authori conflandum ex sensu ipsius immediato mediatum falso, aut incommodum, aut non praevisum, vel non connexum, nec significatum: fieret enim iniquus consequentiarius.

§. 313. Nunquam, nisi necessitas hermeneutica id exigat, judiceſ sensum ſive absolute, ſive relative absurdum (299) eſſe ſensum authoris. Ubi igitur author ſibi contradicere videtur, eandem ſecum ipſo interpres conciliet, falviſ tamen hermeneuticæ legibus.

§. 314. Nunquam tribuat authori ſenſum, niſi qui probari potest eſſe authoris; hinc inquirat in indicia, notaſque determinanteſ ſenſum authoris. Hę & in oratione ipſa & in authore inquiri debent.

§. 315. Cenſendus eſt author quivis uſum vocabulorum (82.) ea ætate, in ea lingua, in qua ſcripſit, receptum ſecutus fuilſe: voluit enim intelligi a coæviſ ſuiſ, & quæ poſtea fata ſubitura eſſet lingua, ſcire ipſe non poterat. Hinc interpres ex uſu tum recepto judiceſ.

§. 316. Si quod vocabulum plures habeat ſignificatuſ, & author certum ſignificatum nullibi fixerit, judiceſ interpres ſecundum ſignificatum famoſiorem. Nam hic ad perspicuitatem sermoniſ pertinet; perspicuitas autem eſt perfectio authoriſ. Si tamen author ob rationes ſignificatum communem deſeruerit, & quendam ſibi ſoli proprium ſubſtituerit, ſignificatuſ hic authori peculiařiſ ex oratione debet poſſe cognosci: ceteroquin eſt terminus non intelligibiliſ, qui arguit in authore imperfectionem.

§. 317.

§. 317. Interpres in locis obscurioribus antecedentia, & consequentia solicite cum loco interpretando conferat, contextum examinet, inquirat in loca parallela, sive *parallelismus* sit in verbis, sive in significatibus, sive in utroque simul. Nam author debet loqui consequenter, & in nexus, debet etiam in similibus similiter loqui. Præferri tamen debent illa loca, in quibus author ex professo, ut dicimus, certam materiam tractat, locis iis, in quibus de eadem obiter tantum, & incidenter loquitur. Si parallelismus *domesticus* deficiat, consulatur *peregrinus*, sed *propior*, sive similes loci authorum aliorum, sed proximiorum, si fieri possit; inter quos eminent authoris discipuli, si qui tales sint. Si & parallelismus *peregrinus* deficiat, inquiratur in vocabula radicalia, derivativa, simplicia, composita illius linguae, aut etiam cognatarum.

§. 318. Interpres nonnisi gravi de causa tribuat vocabulis significatum improprium, & tropicum. Effet gravis causa, si verbis in significatu proprio sumtis, aut nullus, aut absurdus, aut hic loci inconveniens sensus oriretur.

§. 319. Ex sola rei, quæ per verba authoris significata est, ad aliam rem significandam aptitudine non judicet interpres, sensum mysticum ab authore fuisse intentum. Nam præterquam, quod idem sensus literalis possit admirere mysticos plures, sola istiusmodi aptitudo non potest fundare judicium certum, imo ne probabile quidem

dem de mente authoris. Si tamen sit notabilior sensus literalis ad mysticum significandum aptitudo, & alias sensus esset authore indignus, & parallelismus domesticus etiam probet, authorem solere esse mysticum, interpres e pluribus possibilibus sensibus mysticis judicet illum esse verum, qui sensui literali, contextui &c. convenientissimus est.

§. 320. Interpres scripti vel interpretatur scriptum *historicum*, adeoque mera complectens facta, vel *dogmaticum*, & hinc continens veritates communes, & universales; atque hoc vel solum historice referens dogmata, & est *historico-dogmaticum*, vel referens dogmata cum demonstrationibus suis, & est *scientificum*, & hoc methodice (20. 21.) adornatum est *systematicum*. Scripti illius, quod interpretatur, perfectiones perspectas habeat interpres: illæ enim perfectiones authoris determinant, & sunt rationes regularum hermeneuticæ specialis, quas interprætem æque servare oportet, ac regulas hermeneuticæ generalis, si intentum ab authore sensum certo velit cognoscere.

§. 321. Si interpres sensum authoris tantum in lingua ab illa, qua author usus est, diversa proponat, sive si versionem (*eine Uebersezung*) instituat, quæ est brevissima sensus interpretatio, cum i. sensum authoris adæquate cognitum proponat. Hinc nec plures, nec pauciores, imo nec alio modo connexos conceptus proponat, quam ii sunt, quos proposuit author. 2. Sensum

sum brevissime proponat. Vocabulis igitur, quibus author usus est, substituat synonyma alterius linguae eodem modo connexa, quantum genius utriusque linguae patitur. 3. Propositio ipsius interpretis habeat perfectiones ad propositionem requisitas, e. g. claritatem & perspicuitatem.

§. 322. Si interpres instituat *paraphrasin* (eine Umschreibung), quæ est sensus immediatus ab authore intenti interpretatio uberior in lingua vel authoris, vel alia, servet 1. quæ vertens. 2. Sensem authoris clariorem reddat, atque hinc terminis minus claris substituat claros, & ubi expedit, alias interserat, eosque sic inter se ordinet, ut nexus melius perspiciatur. 3. Ultra sensum immediatum, eaque, quæ ad hunc declarandum inserviunt, non progrediatur.

§. 323. Si interpres instituat *commentarium* (eine vollständige ausführliche Auslegung), qui est interpretandorum completa, & illustrata explicatio exhibens etiam illa, quæ cum interpretandis connexa sunt, servet 1. quæ vertens, & alterum, quod paraphrasin instituens. 2. Cognitionem sensus extensive, & intensive, perfectiorum (18.) producat. 3. Ut perfectus sit commentarius, sensum cum rationibus, hoc est: philosophice proponat. Unde patet, commentarium interpretis, & authoris perfectiones debere conjungere.

DE

*COGNITIONE PROBABILI.*

§. 324.

*Cognitio probabilis* est cognitio incerta, in qua plures aut graviores rationes, & indicia pro veritate ejusdem repræsentantur, quam pro ejus falsitate. *Cognitio improbabili*s est, in qua pauciores, aut leviores rationes repræsentantur pro veritate cognitionis, quam pro falsitate (17.). Si utrimque æquales, erit cognitio dubia.

§. 325. Si veritas ex ratione ejusdem sufficiente clare repræsentata cognoscatur, cognitio est certa (14.). Erit igitur cognitio probabilis, si rationes præsentes cognoscantur ad rationem veritatis sufficientem magis accedere, quam ab eadem recedere; & cum accessus unus possit esse proximior altero, probabilitas una potest esse major altera.

§. 326. Conceptus, judicii, ratiocinii, experientiaz, testimonii, interpretationis probabilitas aderit, si rationes præsentes ad rationem veritatis eorundem sufficientem cognoscantur magis

gis accedere, quam recedere, & erit probabilitas eo major, quo accessus propior.

§. 327. Rationes illæ præsentes vel cognoscuntur ex re ipsa, vel non ex re, sed aliunde. Si primum, habetur *probabilitas interna*; si alterum, *externa*. Probabilitas interna est *logica*; externa vel est *physica*, vel *bistorica*; & illa, quæ est circa cognitionem sensus authoris, dicitur *hermeneutica*.

§. 328. Rationes præsentes vel magis accedunt ad rationem veritatis sufficientem in se spectatam, quam recedunt; vel in respectu ad rationes oppositi ad eandem rationem magis accedunt. Si prius, est cognitio *probabilis absolute* talis; si posterius, est *probabilis relative*.

§. 329. Quæ ex demonstratione cognoscuntur, non possunt dici probabilia: cognitio enim ex demonstratione est cognitio certa (234.); omnis autem cognitio probabilis est incerta magis, vel minus. Hinc & illud, cuius impossibilitas demonstrata est, non potest dici probabiliter falsum.

§. 330. Cujus impossibilitas demonstrari nequit, non est idcirco probabiliter verum. Sic licet non possit demonstrari, impossibile fuisse, ut quædam a Servatore nostro edita ope-

ra viribus naturæ creatæ peragerentur, inde tamen non sit probabile, eadem illis viribus fuisse patrata: e. g. restitutio visus cæco.

**§. 331.** Non id omne, cuius possibilitas demonstrari potest, est idcirco probabiliter verum. Sic licet possibile sit, hominem tibi obvium esse contemtorem legum divinarum, & humanarum, quis ex eo probabiliter verum existimet, ipsum tamē esse.

**§. 332.** Quod est probabile, potest esse falsum, &, quod improbabile, potest esse verum. Cognitio igitur, dum probabilis est, nequit esse certa; neque ex probabili, aut probabilibus potest ulla certa deduci. Sed ramen possunt plures rationes, quæ singulæ insufficientes sunt, constituere unam sufficientem, & sic haberi cognitio certa: verum cessat tum simul probabilitas, & cognitio non est certa ex insufficientibus, sed ex sufficiente ratione clare cognita.

**§. 333.** Potest unus præ altero videre plures, aut graviores rationes; hinc uni præ altero potest idem esse probabilius; imo potest idem eidem modo esse probabilissimum, & alio tempore improbabile, quin adeo falsum: sed hoc ex cognita ratione sufficiente. Sic aliquando probabilissimum est habitum, licere homines de magia suspectos ex inversione in aquas vel nocen-

nocentes, vel innocentes declarare, prout supernatabant, aut demergebantur, quod certo est falsum, sicut & plura alia.

§. 334. Si dati cuiusdam probabilitas absoluta determinanda sit, inquirantur 1. pro dati possibilitate rationes, aut saltem id efficiatur, ut constet, dati impossibilitatem non posse demonstrari. 2. Inquirantur, si fieri possit, rationes omnes, aut sufficiens ratio una, quæ ad certitudinem dati requiruntur. 3. Cum his conferantur rationes præsentes, ex quarum aut multitudine comparativa, aut pondere comparativo probabilitas ipsa determinari poterit.

§. 335. Si non possint rationes omnes ad certitudinem requisita detegi, conferatur datum cum aliis certis, & dispiciatur 1. an iis repugnet, nec ne. 2. An habeat cum principiis alicui disciplinæ propriis connexionem. 3. An inter datum, & alia certo cognita detur analogia &c. sic quidam Physici probabile putant, materiam luminis esse aliquod fluidum subtile undequaque diffusum ob quandam soni, & luminis analogiam.

§. 336. Si dati cuiusdam probabilitas relativa determinanda sit, queratur 1. dati probabilitas absoluta. 2. Ponatur dati contrarium, & 3. hujus probabilitas absoluta detegatur. 4. Excessus rationum facta comparatione determinabit gradum probabilitatis.

§. 337. Si nec dati, nec ejus contrariæ absoluta probabilitas detegi possit, procedatur circa utrumque secundum §. 235.; quæ pro unoquoque detectæ sunt rationes, conferantur, atque ex illis determinetur gradus probabilitatis relativæ.

§. 338. Gradus probabilitatis quandoque calculo determinari possunt. Nam, cum certitudo considerari possit tanquam totum, quod ex clare cognitis rationibus veri sufficientibus ensuitur, rationes hæ considerari possunt tanquam partes; & hinc probabilitas potest instar fractionis exhiberi, cujus denominator ostendat veri rationes sufficientes, & numerator rationes præsentes. E. g. Si ad dati cuiusdam certitudinem quatuor homogeneæ rationes requirantur, adhucque tres, erit dati probabilitas  $\frac{3}{4}$ , & datum simpliciter probabile; si duæ, erit  $\frac{2}{3}$ , & dubium; si una, erit  $\frac{1}{2}$ , & improbabile. Sic si e quatuor iter una facientibus, duo forent occisi, esset dubium, an & Titius esset occisus; si vero tres, esset probabile.

§. 339. In iis, in quibus ad plures eventus habetur æqualis dispositio, probabilitas est sicut unitas ad numerum omnium eventuum possibilium. Sic, quod uno tesseræ jactu obtentus sim punctum I., erit  $\frac{1}{8}$ .

§. 340.

§. 340. Dum eventus omnes possibles determinari possunt, habetur etiam pro uno eo major probabilitas præ altero, quo plures sunt modi, quo prior eventus possibilis est. Sic, si aliquis tribus tesseris ludat, probabilius est, eum jacturum 10. puncta, quam tria: est enim primum pluribus modis possibile, alterum non nisi uno.

§. 341. Si in legitimo ratiocinio una pars antecedentis sit tantum probabilis, altera certa, conclusio tantum probabilis est. Nam, quando absolute certum non est, duo convenire cum tertio, aut unum convenire, alterum non convenire cum tertio, etiam certum esse non potest, eadem convenire, aut disconvenire inter se (165. 166.).

§. 342. Si utraque pars antecedentis sit probabilis, probabilitas consequentis erit tanta, quanta est probabilitas unius partis imminuta per fallibilitatem alterius partis. Consequens enim de fallibilitate utriusque partis participat, uti ex §. præced. liquet; utriusque autem partis fallibilitas obtinetur, si partis unius probabilitas per fallibilitatem alterius imminuitur. Sit probabilitas unius partis  $\frac{1}{3}$ , erit fallibilitas illius, sive distantia a certitudine = 1. sit alterius partis probabilitas  $\frac{1}{2}$ , erit fallibilitas illius = 2., & probabilitas unius imminuta per fallibilitatem alterius erit  $\frac{1}{6}$ , cujus fallibilitas est = 3.; est

autem summa fallibilitatum utriusque partis in antecedente etiam = 3.; adeoque ejusmodi conclusionis fallibilitas æquatur summæ fallibilitatum, sive distantiarum a certitudine utriusque præmissæ; & hinc probabilitas ejusmodi conclusionis minor est.

§. 343. In comparatione probabilitatum partium oppositarum utriusque partis probabilitas imminuitur: si enim pro utraque parte sint rationes homogeneæ æquales, utrumque destruitur probabilitas, & oritur dubium (324.); ergo, si istiusmodi rationes sint numero inæquales, partis utriusque probabilitas imminuetur.

§. 344. Diminutio hæc calculo determinatur, si 1. determinetur utriusque partis probabilitas absoluta in fractionibus ejusdem denominatoris. 2. Defectus unius numeratoris a denominatore addatur defectui numeratis alterius, & vicissim. 3. Denominatores addantur sibi invicem. Quæ oriuntur novæ fractiones, determinabunt probabilitatum relativarum (328.) imminutiones. Sit e. g. probabilitas absoluta pro culpa Caji  $\frac{9}{15}$ , & pro innocentia ejus  $\frac{8}{15}$ . Defectus a certitudine in fractione prima est = 1; addatur hic numeratori fractionis secundæ, & fieri ille = 9. Defectus numeratoris fractionis

nis secundæ est = 2, addatur numeratori primæ, & erit hic = 11. Addantur etiam denominatores invicem, & erunt = 20. Proinde novæ fræctiones sic stabunt:  $\frac{11}{20}$ ,  $\frac{9}{20}$ ; eritque pro culpa Caji probabilitas, pro innocentia improbabilitas. Ratio hæc est: Casus unus, in quo momenta pro culpa fallunt, favet innocentiae Caji: Viciissim casus duo, in quibus momenta pro innocentia fallunt, favent sententiæ oppositæ, ita, ut momenta pro culpa spectari possint, ac si intra 20. casus non fallant 11; & momenta pro innocentia, ac si intra eosdem 20. casus non fallant 9.

§. 345. Si rationes partium oppositarum sint heterogeneæ, ita, ut unius partis probabilitas sit extrinseca, alterius intrinseca (327.), calculo locus non est. Extrinseca enim, & intrinseca probabilitas sibi non opponuntur; adeoque una per se non infringit alteram.

§. 346. Si rationes utrinque sint heterogeneæ, e. g. si probabilitas partis unius fundetur testimonio plurium, qui ea in re infallibiles non sunt; alterius vero partis probabilitas fundetur ratione valde gravi ex ipsa rei natura desumpta, pars prior cedit posteriori. Universum momentum levius cedit graviori, etsi levius ex centum rationibus ita judicatis consurgeret, & gravius nonnisi ex unica.

§. 347. Cognitio ex rationibus est philosophica (18.); hinc & cognitio probabilis, & probabilior est philosophica, sed imperfecta (23.), illa magis, haec minus. Hanc stude adquirere, ubi certa obtineri non potest. Errares tamen, si tuam probabiliorum certam, & oppositam ejus falsam haberet.

*FINIS LOGICÆ.*






o. Diff

10  
8  
a.  
82  
10  
yu  
ora  
38 pm  
rd  
am  
sin  
all  
q  
L  
2  
45  
2  
Co

2  
letter  
London  
S. J.  
Rich.  
m  
Paris



Philo. 361.

